



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Disputatio VIII. De ipso Composito.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

TRACTATUS II. DE IPSO COMPOSITO.

*Post Tractationem de Principiis & Causis sequitur Tractatio de Principiato
& Causato; hoc est ipso composito, de quo sit*

DISPUTATIO VIII.

De ipso Composito.

Hanc materiam concernentia
videnda sunt, dicta de distin-
ctione modali & connotativa
ubi tractata est hæc Major; Im-
possibile est transire à contradi-
ctorio ad contradictorium sine
sufficienti mutatione, in præfenti autem tra-
ctabitur hæc Minor, sed sine entitate modali
non potest salvari transitus à non esse uniti ad
esse uniti: Quod ut fiat, fit

QUÆSTIO I.

De Unione.

Examinabimus hic imprimis, an sine entitate
modali ratio unionis salvari possit? deinde
an unio formaliter accepta sit modus? denique
de conditione huius modalitatis.

DIFFICULTAS I.

*An sine entitate modali, ratio unionis salvari
possit?*

Affirmant Nominales, & ex nostris Greg. de
Valen. tract. 4. disp. 1. q. 2. Dandinus in tra-
ctatu 7. de anima, Vadingus tractatu de In-
carnatione: negat Suar. cum aliis nostris.

Punctum Difficultatis I.

Quid Tenendum?

DICENDUM est. Sine modali entitate, rationem
unionis, salvari non posse.

PROBATUR primò Conclusio. Impossibile est
transire à contradictorio ad contradictorium,
sine sufficienti mutatione, ut dictum tractando
de modis. Ergo & ad esse uniti, à non esse uniti,
transiri non poterit sine sufficienti mutatione,
nam etiam esse uniti & non esse uniti sunt con-
tradictoria, sed nisi ponatur entitas modalis,
non dabitur sufficiens mutatio ad transitum à

non esse uniti ad esse uniti, quæ enim hæc muta-
tio? Ergo ponenda est entitas modalis, subsum-
ptum mox probabitur impugnatione responso-
rum.

PROBATUR secundò principiis adlatis in tra-
ctatu de modis, quæ hic proportionaliter, appli-
canda sunt.

PROBATUR tertio. Unio hypostatica non pot-
est salvari sine modali entitate. Ergo neque unio
compositi Physici. Consequentia probatur
Autoritate Athanasii, qui asserit, quod sicut
anima rationalis & caro unus est homo, ita Deus
& homo, unus est Christus, quæ verba accipi ut
sonant, nihil vetat. Deinde, quod est diversitas
ordinis inter Naturam humanam & personam
Divinam, hoc est indifferentia in materia & for-
ma ad uniri & non uniri, & sicut diversitas ordi-
nis determinatur ad uniri per superadditum
modum, ita & indifferentia debet tolli per eun-
dem. Antecedens autem probatur auctoritate
S. Thomæ, qui universaliter asserit, quodvis per-
fectibile requirere dispositionem superadditam
ad recipiendam perfectionem altioris ordinis,
& ita lumen gloriæ præsupponitur visioni, gratia
omnibus habitibus supernaturalibus moralibus
primò infundendis, habitibus actibus, & universa-
liter natura ordinis inferioris aliqua sui muta-
tione, similitudinem ordinis superioris prius
participat, quàm à natura superioris ordinis per-
ficiatur. Antecedens idem, robur habet ex ar-
gumento, quod ponitur in materia de possibili-
tate Incarnationis; ubi ostenditur non posita
entitate modali salvari commodè non posse,
cur mediare defacto uniatur natura Divina na-
tura humana? salvari item non poterit, cur
potius Persona verbi & non aliæ sint immedia-
te unitæ? Reliqua videantur in materia de In-
carnatione.

Obi-

OBJICITUR I. Nulla est necessitas unionis modalis, non sunt autem multiplicanda entia sine necessitate.

RESPONDETUR. Ex infra dicendis, esse necessitatem, ut ostendatur sufficiens mutatio ad esse uniti acquirendum.

INSTABIS. Ponamus miraculosè à Deo tolli omnes modos, siue illi sint formaliter unio, siue connotatum: & nihilominus ponamus indistincte à se materias & formas ut ante, illa extrema verè erunt unita. Ergo otiosa est modalitas superaddita.

RESPONDETUR. Negando fore illa unita, sed habebunt se ita, sicut Angelus intimè corpori præsens, vel sicut duo puncta se invicem penetrantia, unde tunc nec materia v.g. esset animata, nec paries albus, sed tantùm esset materia & anima, paries & albedo; carerent enim determinativo ad esse uniti.

OBJICITUR secundò. Modi implicant. Ergo rationem unionis ingredi non possunt. Antecedens probatur, habere entitatem distinctam, & non habere entitatem distinctam sunt contradictoria, modi habent entitatem distinctam, ut supponitur, & non habent entitatem distinctam; quia sine extremis conservari non possunt.

RESPONDETUR. Nego sequi ex eo, quod sine extremis Modi conservari non possint, eos non habere distinctam entitatem, quamvis non habeant ratam. Adde in sententia Aristotelis formæ materiales & accidentia habent distinctam entitatem à materia, nec tamè per illum conservari poterant extra subiectum, en non implicat apud Philosophum habere propriam entitatem, & tamen non posse separari.

OBJICITUR tertio. Si daretur unio modalis, partes compositi non unirentur immediatè, unirentur enim media unione.

RESPONDETUR. Modales, quod unirentur media unione tanquam ratione ut quo, non verò mediante tanquam ratione ut quod; & sicut quamvis inter oculum & objectum mediet visio, immediatè tamen objectum videtur, quia visio mediat tanquam ratio videndi & ut quo, ita & hinc, posita autem modalitate pro connotato, multo minus urgebit argumentum.

INSTAB. Saltem compositum non erit ens per se, non enim uniretur per se, sed per aliud.

RESPONDETUR. Modales, non ex eo compositum esse ens per se, quia extrema uniuntur se ipsis, sed quia ad se ordinantur tanquam actus & potentia, ejusdem ordinis.

OBJICITUR quartò. Relatio interveniens inter extrema non est modus: compositio item tam ex genere & differentia, quàm & natura & hæccitate non sunt modi. Ergo nec compositio extremorum Physicorum.

RESPONSUM ad consequentiam in materia de relatione, unde dico consequenter, relationem unibilium esse indistinctam, licèt unio importet

modalitatem, sicut relatio Paternitatis est quid indistinctum, licèt esse Patrem importet entitatem. Aliæ paritates non tenent, quia cum partes Metaphysicæ sint indistinctæ realiter, etiam unio illarum, debet esse identitas, adeoque nihil distincti importans; unio autem partium Physicarum non debet esse identitas.

OBJICITUR quintò. Compositum non est superaddita entitas extremis simul sumptis. Ergo nec compositio seu unio, est superaddita entitas. Consequentia probatur, quia compositio & unio, est fieri uniti. Ergo si ipsum factum esse seu compositum non est superaddita entitas, nec fieri superadditum erit, nam aliàs fieri & factum esse, non essent idem.

RESPONDETUR. Disparitatem esse; quia impossibile est reperire formam & materiam simul sumptam, & non reperire compositum, possibile autem est reperiri materiam & formam, & nondum esse unionem, eritque adhuc fieri & factum esse idem, quia sicut fieri importat distinctam modalitatem; ita & factum esse.

OBJICITUR sextò. Modalitas superaddita non potest facere compositum unū formaliter, nam si faceret unum faceret vel per modum totius, vel per modum partis; non per modum totius, quia illa modalitas non est totum esse compositi; non etiam per modum partis, quia partes sunt ea, quæ componuntur, modus autem non est id, quod componitur; quod si neutro modo facit unum formaliter, absolute non facit unum formaliter; quia quidquid facit unum formaliter, facit illud unum, vel formalitate partiali, vel formalitate totali.

RESPONDETUR. Modalitæ, unionem non esse partem ut Quod compositi, esse tamen partem ut Quo, seu ipsam compositionem, qui autem modum pro solo connotato admittunt, negabunt, quod modus ille, vel per modum totius, vel per modum partis faciat compositum, sed per modum necessarij connotati, ad eum modum, quo terminus relationem, nec per modum partis, nec per modum totius, constituit relationem.

OBJICITUR septimò. Si de ratione unionis esset modalitas, hac modalitate prius deberet creari rationalis anima, quia extremum præsupponitur modo, hoc autem dici non potest, quia est error Origenis asserere, prius animas quam uniantur creari.

RESPONDETUR. Non esse necesse animas prius tempore creari, quod volebat Origenes, sed sufficit illas creari prius naturâ. Certè enim modus respectu modalifactorum habet se ut prius, quia competit illi causalitas respectu modalifactorum & habet se ut posterius, quia præsupponit subiectum, cui inexistere debet. Posito autem quod unio modalis vel modalitas pro connotato importata, sit materialis, non erit necesse ante hanc modalitatem præsupponi Animam vel formam.

Ut

Ut autem pondus primi argumenti quod principale est in hac materia fundamentum examinetur, sit

Punctum Difficultatis 2.

Proponuntur Variæ Responsiones ad argumentum.

RESPONDENT primò aliqui: Sufficiens mutatio, quare forma & materia à non esse uniti transeant, est, quia materia, est materia in actu secundo, & forma, est forma in actu secundo.

CONTRA, impossibile est transire à non esse materiæ in actu secundo, ad esse materiæ in actu secundo, item à non esse formæ in actu secundo, ad esse formæ in actu secundo, sine sufficienti mutatione, propter principium universale. Impossibile est transire à contradictorio &c. Sed nisi ponatur entitas modalis non erit sufficiens mutatio ad istum transitum habendum; quod probo inquirendo, quæ sit hæc mutatio.

RESPONDENT, quia materia non tantum est sibi & in se, sed & alteri, hoc est formæ, forma item non est sibi tantum & in se, sed & alteri, hoc est materiæ, item quia materia & forma unescunt, hoc est in homine hominescunt, in bove bovescunt, sed redit argumentum, impossibile est transire à non esse sibi & alteri, ad esse sibi & alteri, à non esse hominescentis, ad esse hominescentis, sine sufficienti mutatione, quæ hæc mutatio?

RESPONDENT ulterius, transire v.g. materiam ad esse sibi & alteri seipsa, ad eum modum, quo à non esse ad esse. Angelus transit seipso. Sed redit argumentum, impossibile est transire à non esse transeuntis seipso, ad esse transeuntis seipso, sine sufficienti mutatione propter receptum principium impossibile est &c. sed nisi ponatur entitas modalis non ostendetur sufficiens mutatio, ad transitum à non esse transeuntis seipso, ad esse transeuntis seipso, quæ enim illa? videantur dicta de modis, Instantia adlata de Angelo pro nobis est. Quando Angelus à non esse existens ad esse existentis transit seipso, est mutatio facta in entibus, quia de novo producitur entitas Angelis: si ergo tu taliter seipso transire à non esse uniti ad esse uniti censes, admittis novam entitatem. Denique tunc seipso transitur à non esse ad esse, Imprimis, quando est nova tunc pullulans entitas. Deinde quando illo posito hoc ipso indispensabiliter transitur, à contradictorio ad contradictorium, de quo queritur, inclusa illa sufficientia in ipsomet ente seu esse, apparet enim quod ipsi esse, insit vis denominandi, & sic seipso transitur à non esse existentis, seipso autem non transitur ad esse similis, nisi ponatur altera qualitas, si sit similitudo in qualitate, idque ideo, quia illa sufficientia non est inclusa in ipso esse, cum possit esse qualitatis esse, & non esse, similitudinis esse. Jam autem non hoc ipso, quia ponitur entitas materiæ & formæ, habetur transitus ad esse uniti.

RESPONDENT secundò alii, quæ responsio est continuatio prioris. A non esse uniti ad esse uniti, vel secundum Phrases immediate positas, à non esse transeuntis seipso, ad esse transeuntis seipso transire per novam formalitatem, seu modum essendi appropriare dictum. Quod ipsum sic aliter proponitur. Duplex potest esse transitus ab uno contradictorio ad aliud, unus à non esse simpliciter ad esse simpliciter, vel ab esse simpliciter, ad non esse simpliciter, ut cum Angelus creatur, à non esse simpliciter, transit ad esse simpliciter, vel cum annihilatur, tuncque ab esse simpliciter, transit ad non esse simpliciter, & in tali transitu debet esse mutatio in entibus, vel non entibus. At verò datur alius transitus ab uno contradictorio ad aliud, per quem aliquid transit, tantum à non esse secundum quid, ad esse secundum quid, vel è contra, ut sit in generatione, nam materia absolute potuit existere sine forma, tantumque transit à non esse habentis formam esse habentis formam, &c. & in tali transitu, non est necesse fieri mutationem in ipsis entitatibus, sed in entibus secundum quid, seu formalitatibus, seu in modis essendi, formaliter distinctis ex natura rei à suis entitatibus, quibus identificantur, qui etiam modi essendi, non tribuunt esse rebus absolute & simpliciter, sed aliter esse secundum quid, quam ante fuerint, & denominari de novo.

CONTRA est, Tum quia redit argumentum factum, impossibile est transire à contradictorio non habentis novam formalitatem, ad esse habentis novam formalitatem, denominationem, modum essendi appropriatè dictum, sine sufficienti mutatione, at quæ hæc mutatio? & certè, ad formalitatem relationis similitudinis, de novo habendam, transitur positione albedinis v.g. in altero pariete, ad denominationem & formalitatem inæqualis, vel deperditione, vel acquisitione entitatis, & sic de reliquis, quæ autem est mutatio ad habendam novam formalitatem unionis? Tum quia universaliter loquendo distinctio ex natura rei, quam supponit hæc doctrina nulla datur. Tum quia ad transitum à non esse simpliciter, ad esse simpliciter, requiritur mutatio in entibus, vel non entibus. Ergo etiam & ad transitum à non esse secundum quid, ad esse secundum quid; non est enim major ratio unius, quam alterius. Tum quia transitus à non esse relati, ad esse relati, est transitus secundum quid, & tamen requirit si fortè non nisi unus paries sit albus, ut etiam alius dealbetur, quæ mutatio est in entibus. Ergo immeritò assumitur, mutationem in hoc transitu non debere esse in entibus. Tum quia illa formalitas, & non est entitas modalis, & est entitas modalis, non est, ut supponunt oppositi, est autem entitas modalis, ut probatur, est enim terminus immediatus veræ actionis realis, quæ est generatio, habet entitatem suam secundum quid, & pro-

prout condistinguitur ab extremis non est nihil, habet suam existentiam propriam, voca illam ut vis, non nisi distinctam formaliter ex natura rei, quid illi deest ita distinctæ, ne habeat existentiam consimilem modis, cum etiam distinctio modalis sape à Suar. Ovied. & aliis appelletur distinctio ex natura rei, videntur enim hæc duo, talis scilicet formalitas & modalitas, verbis differre. Tum quia formalitas illa prout distincta nemine cogitante ab extremis est, est secundum quid ens, ut ex verbis respondentis colligitur, & tamen dicitur identificata extremis, ut videre est in textu Responſionis, magis autem repugnat, duas entitates quasunque identificari realiter, quàm duo entia simpliciter, nam ex duplici titulo in prioribus est repugnantia identificationis, & ex titulo distinctæ entitatis, & ex titulo secundum quid, qui magis distat à ly simpliciter, quàm ly simpliciter ab alio, ly simpliciter, hinc magis repugnat accidens, quod est ens secundum quid, identificari substantiæ, quàm substantiam substantiæ.

Denique videntur hac doctrina convelli duo Principia, lumine nature nota.

PRIMUM. Quod semel est identificatum, semper est identificatum, quod principium à respondente convellitur, nam formalitas identificata alicui Enti perit, manente eo, cui est identificata. Neque valet si dicas, manere in re illam formalitatem non manere formaliter, redit enim argumentum illud ipsum formaliter, est identificatum realiter & nemine cogitante, quomodo ergo non manet illud formaliter nemine cogitante, manente eo cui identificatur.

SECUNDUM principium convellitur quod semel non est identificatum, non potest postea identificari, nam idem esset idem & non esset idem. Siquidem ex non idem, fieret postea idem. Quod ipsum sic proponitur. Ante identificationem non erat hoc idem, sed distinguebatur à non identificato, post identificationem est idem, quia hoc ipso non est identificatum. Ergo idem evadit non idem, & non idem, evadit idem. Si autem non erat idem formalitas unionis cum existente materia, & cum existente forma, & postea evadit idem, quomodo ex eo, quod non est idem, non evadit idem.

RESPONDEBIS, quod accedens illa formalitas, licet sit idem realiter, non est idem formaliter.

CONTRA, Hoc ipsum quod non est idem formaliter, est adhuc nemine cogitante idem realiter, præfuitque nemine cogitante. Quid ergo advenit quod sit nemine cogitante.

RESPONDEBIS, advenire quoad id, quod est nemine cogitante formaliter, etsi distinctum ex natura rei.

CONTRA erit. Illud distinctum, illud nemine cogitante, illud formaliter ex natura rei adveniens, si jam præfuit realiter, nemine cogitante,

quid est nisi aut mera concepta formalitas, aut merum nomen, & sicut si nemine cogitante & realitas panis & formalitas quoad esse reale spectata poneretur in Eucharistia, sed tantum diceretur abesse formalitas panis, ex natura rei sumptus, nihil minus esset de pane nemine cogitante; ita si illa formalitas ex natura rei nemine cogitante adveniens, jam præfuit quoad suam formalitatem quoad rem, si præfuit illud ex natura rei, quoad suum esse reale, si illud nemine cogitante adveniens, præfuit nemine cogitante reater, quid rogo advenit?

RESPONDETUR tertio. Sufficientem mutationem quare à non esse uniti ad esse uniti tranſcant materia & forma, esse, non ipsam unionem, quæ importet modalitatem superadditam, sed ipsam actionem eductivam formæ. Universalius, ne procedat hæc responſio de solis unibilibus, quæ, constant forma materiali; sic aliter proponitur quod scilicet à non esse uniti ad esse uniti tranſeat ipſa actione unitiva, de qua ipſa sic discutitur. Duplex invenitur actio substantialis, quædam productiva, & hæc semper debet habere novum terminum absolute & simpliciter, ut sit, dum v.g. creatur Angelus; alia verò est actio compositiva substantialis, quæ cum sit illa, vi cujus ex duobus entibus præexistentibus fiat unum, seu compositum, quod compositum non est absolute distinctum ab iisdem partibus, proinde etiam non debet correspondere tali actioni novus absolute & simpliciter terminus substantialis, sed secundum quid, neque enim vitalis actionis res aliqua tranſit à non esse simpliciter, ad esse simpliciter, sed tantum à non esse secundum quid, ad esse secundum quid. Porro illius actionis compositivæ duplex adhuc terminus assignari potest, nimirum totalis, & hoc est ipsum compositum, quod est novum, cum antea non fuerit in ratione compositi acceptum, alter autem terminus formalis & immediatus, & hic est novus modus essendi, v.g. Materia quatenus actu seipsa recipiens formam. Quod autem actio possit terminari ad formalitatem aliquam, ratio est, quia motus terminatur ad ubi, potest item divinitus fieri penetratio duorum corporum, & tamen penetratio non produci-
tur.

Quod attinet ad illam doctrinam de eductione formæ.

IMPUGNAT primò hanc responſionem Hurt. sed ejus rationes videbis solutas hic apud Oviedon. 15.

IMPUGNAT secundò Oviedo, quia si unio identificaretur actioni eductivæ, mutata actione mutaretur & unio, & cum post instans generationis mutetur actio, nam in secundo instanti à Deo solo conservatur, & in primo instanti influebat in formam causa secunda, hinc post
in-

instans generationis mutabitur & unio, si autem mutabitur unio, mutabitur & compositum, quia compositum importat necessariū unionem.

RESPONDEI potest, non mutari compositum, quia non mutantur partes ejus substantialiter materia & forma, mutatio autem talis penes substantialia attendi debet. Et quamvis importetur unio à composito, importatur in quantum unio, est ipsamet materia & forma simul sumta, non in quantum unio importat aliquid extrinsecum, qualis esteductio.

IMPUGNAT tertio idem. Actio quæ producitur forma est accidens, est enim essentialiter propter terminum, nec intenditur propter se à natura, sed propter terminum, si est accidens, non potest esse de essentia compositi, nam id secundum totum suum esse debet esse substantiale.

RESPONDETUR, quod unio secundum quod dicit in recto debeat esse substantialis, non secundum connotata. Deinde non est necesse, ut majori titulo dicatur unio substantialis, quam cum generatio remotè & pro alterationibus accepta dicitur substantialis, scilicet terminative.

IMPUGNAT quartò Recentior Suar. si generatio passiva esset unio, omnis generatio passiva, esset unio, non enim est ratio major de una, quam de alia, sed falsum est, omnem generationem passivam, esse unionem, nam modi verè generantur, & tamen non per generationem, sed seipsis uniuntur, aliàs si seipsis non uniuntur, possent divinitus existere, separati à suis realitatibus.

RESPONDETUR. Imprimis Nominalistæ negando modos, negabunt eosdem generari, sed concessis modis non convincit argumentum, dici enim potest omnem generationem entis Rati materialis, esse unionem, quamvis non absolute omnis entis, præcipue cum non teneat argumentatio ab ente rato ad ens modale, imò hoc ipsum, quod adfert Suar. pro disparitate adferri potest, quia scilicet aliàs possent modi existere, sine modificato.

IMPUGNAT quintò idem. Generatio passiva includit duo, dependentiam à subjecto, & receptionem in illo, sed unio neque est dependentia à subjecto, neque receptio in illo, quod ipsum probat, unio animæ rationalis est unio, & non est dependentia à subjecto. Rursus Modus est dependentia à subjecto ut subjecto, & tamen non est unio. Ergo unio non est ista dependentia. Receptio etiam non est unio, quia partes continui uniuntur, neque tamen una recipitur in alia.

RESPONDETUR. Probabile est, quod unio animæ rationalis sit materialis, consequenter poterit esse dependens à subjecto. Rursus omnes modi cum importent non posse existere sine

subjecto, sunt in re unio sui cum subjecto, ut passim Modalistæ volunt, quantumvis nomen unionis appropriatum sit unioni extremorum rationum. Falsò item assumit, quod partes continui uniantur unionem superadditâ. Quando autem idem addit quod dependentia à termino, quam habet ratio, non sit unio, adeoque nec dependentiam à subjecto, quam dicit forma, esse unionem, id etiam non convincit, quia unio inter ea dici debet intervenire, inter quæ est compositio, & cum inter extrema relationis non sit compositio, dependentia illa, non debet vocari unio. *Hinc aliter*

CONTRA hanc educationem est. Tum quia vel ponis educationem, actionem importantem novam modalitatem, vel non ponis? si non ponis, redit argumentum, impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione: ergo & à non esse actionis educitivæ, ad esse actionis educitivæ, at, quæ hic mutatio? Si autem ponis educationem esse actionem importantem modalitatem, quæ, posita educatione vel potest Deus facere miraculosè, ne forma educita uniatur, vel non potest? si non potest, cur? nego enim ipsam educationem esse unionem; si non potest, Ergo educitio, non est ipsa unio. Tum quia, si non implicat, potius assignari debet ea ratio unionis, quæ sit respectu quorumcunque compositorum universalis, educitio autem non est ratio universalis respectu quorumcunque unibilium, quia non convenit animæ rationali.

Quod attinet ad illam actionem compositivam non productivam.

CONTRA est. Tum quia impossibile est transire à non esse actionis compositivæ ad esse actionis compositivæ, sine sufficienti mutatione; at, quæ hic mutatio? cum nihil noviter addatur Materiæ, nihil addatur Formæ, manetq; eadem difficultas de illa actione ac de formalitate ex illa pullulante. Tum quia, quamvis possibile sit, ut actio identificetur termino, ut fortè contingit in omnibus actionibus vitalibus, est tamen impossibile, ut sit vera actio & nihil producat, non habeatq; terminum. A quo termino, si non distinguitur realiter modaliter, saltem debet dari Entitas, cui identificetur? cui autem illa actio compositiva, ut supponitur nova, identificatur? quid illic de novo producit, cui sit actio, quid identificatum? Tum quia concedimus, compositum non esse distinctum realiter à partibus simul sumptis & unitis, sed restat quærere, per quid transeat ad illud esse compositi? inveniendūq; illud principium, quod omnis actio debeat aliquid agere habereq; terminum, cui saltem identificetur realiter, negandum erit dari ullam actionem veram compositivam, quæ interminata ad materiam, formam, modalitatemq;

† t

temq; aliquam, terminetur tamen ad ipsum compositum.

Punctum Difficultatis 3.

Continuatur Propositum.

RESPONDETUR quartò, sufficientem mutationem, ob quam materia & forma à non esse uniti ad esse uniti transeant, esse intimam præsentiam in circumstantia dispositionum prærequisitarum. Porro ipsam indistantiam non volunt esse talem; qualis est distantia locati à loco, sed indistantiam, quæ intimitatem adferat, qualem intimitatem dicit Deus ad creaturas, dicerent item duo corpora, si se penetrarent, puncta item se tangentia.

IMPUGNAT primò, hanc responsionem Oviendo, quia si unio consisteret in indistantia, seu in præsentia utriusque extremi, sequeretur, quòd quotiescunque homo moveretur, sicut acquirit novam præsentiam ita acquireret novam unionem, in approximatione consistentem.

RESPONDETUR, quòd scilicet per motum localem non acquirat novam præsentiam materia & forma inter se, sed tantum acquirant præsentiam ad extrinsecam, & sicut sedens in equo respectu equi eandem præsentiam habet, quamvis respectu aliorum aliam, ita & materia respectu formæ. Deinde à respondentibus requiritur indistantia non merè localis, sed indistantia cum certa intimitate, quæ per solum motum localem non acquiritur.

IMPUGNAT secundò idem. Si unio in approximatione consisteret, sequeretur unam formam substantialem, non expellere aliam, possunt enim inter se penetrari, nam non adferunt proprias quantitates, & impenetrabilitas illis, non nisi ratione quantitatis competit; si ergò se penetrarent, cum sint futura proxima & indistantes ab eadem materia, informabunt illam.

RESPONDETUR. Non quomodocumq; in approximatione & indistantia sitam esse rationem unionis, sed in indistantia & dispositionibus materiæ, quæ non sunt in materia, nisi pro una forma, determinatioq; alterutrius penderet à Deo, & utraq; quidem haberet indistantiam localem, sed non nisi una determinabilis à Deo intimitatem explicatam.

IMPUGNAT tertio. Si unio consisteret in materia & forma sumptis cum indistantia & dispositionibus, vel illa indistantia & dispositiones haberent se per modum merè extrinsecæ ad unionem, ita scilicet, quòd unio in sola materia & forma consisteret, vel per modum alicujus ad unionem spectantis, si per modum extrinseci, sequitur, quòd quotiescunque ponitur materia & forma indistantes, toties poneretur & unio, cum non nisi in indistantia materiæ & formæ staret; si

autem aliquo modo dispositiones spectant ad rationem unionis, contra erit, quia potest materia uniri miraculosè formæ sine dispositionibus, & materia prima Beatissimæ habuit ad animam Christi dispositiones, & tamen illi unita non est, quantumvis illi fuerit intimè præsens.

RESPONDETUR, Non convincere hoc principium, quasi non possit aliquid extrinsecum esse tale, ut sine ipso non possit aliquid esse, nam terminus, est quid extrinsecum relationi, etiam Transcendentali, & tamen sine eo, non potest esse relatio, Organisatio corporis perficitur per accidentia, sine ullis formis partialibus substantialibus, & tamen sine illis, non potest esse compositum humanum. Deinde aliqua forte dispositiones requiruntur ad uniri. Materiæ primò, quæ non requiruntur positæ jam unione; hinc corpori Beatissimæ, nò potuit uniri anima Christi, cumq; defacto fuerit unita corpori Beatissimæ, anima ejusdem, non habuit vim uniendi se ejus corpori, Anima Christi. Denique supponit arguens, quacunq; indistantia formari rationem unionis, quòd negant oppositi, unde quamvis concederetur Beatissimæ animæ indistantia localis à Corpore Christi, posset nondum esse unio ob defectum intimitatis. *Hinc aliter*

CONTRA Responsionem est, Tum quia, Concedo quidem ostendi ratione dispositionum mutationem, sed nego illam esse sufficientem, quia hæ dispositiones vel sunt tales, ut illis positis impossibile sit non sequi unionem; vel certè illis positis possibile est non sequi unionem; non secundum; quia hic queritur de tali ratione; quæ positæ sit impossibile non sequi compositum; & quæ sit objectum volentis Dei, ut ex non unito, fiat unitum; objectum autem hujus voluntatis Dei, debet esse tale, ut sicut impossibile est frustrari voluntatem, Dei volentis, ut ex non unito fiat unitum, ita etiam, ut impossibile sit illud objectum non inferre rationem uniti; non etiam potest dici primum, quia omnium formarum effectus, qui non sunt formales primarii, sunt impedibiles, sed indistantiæ & dispositionum effectus formalis primarius non est unire, sed tantum disponere ad unionem, & sicut disponere ad gratiam, non est gratum facere, disponere ad formam ignis, non est ignire, ita nec disponere ad unionem, erit unire, Deinde si positæ indistantiæ, & dispositionibus, impossibile est non sequi unionem; istæ dispositiones non possent poni, quin ponantur extrema unibilia, licet possint poni extrema unibilia sine illis dispositionibus, hoc autem est formalissimè admittere modos. Tum quia specialiter contra indistantiam urgendo, quæro per hanc indistantiam, vel intelligis solam præsentiam localem, vel aliam intimitatem penitiorum? Si primum, quæro, vel in illa ipsa statuis unionem,

nem, vel in aliquo alio etiam? Si in illa statuis inadæquatam unionem; Ergo penetratio, erit inadæquata generatio, quia erit inadæquata ratio unionis materiæ & formæ. Si autem indistantia adæquatam habet rationem unionis, penetratio erit generatio, sequeturque genitum Christum & Beatam Virginem; cum nascendo filius pene rabat ejus viscera. Si autem per hanc indistantiam intelligis, non solum præsentiam localem, sed aliquam aliam intimitatem, quid hæc intimitas? Rursus cum hæc intimitas non sit entitas superaddita, sed sola formalitas, restituo argumentum; impossibile est transire, à non esse intimi penitus, ad esse intimi sine sufficienti mutatione, quæ hinc mutatio? Tum quia discurrendo circa has dispositiones urgeri potest, dantur unibilia de novo, quæ non requirunt intimitatem de novo. Ergo ratio uniti male per dispositiones explicatur, queritur enim hic ratio formalis, adeoque universalis uniendi, qualis est albedo respectu dealbandorum. Antecedens probatur, quia Personæ Divinæ sunt unibiles de novo naturæ creatæ & tamen ad hoc uniri nullā indigent novā intimitate.

RESPONDETUR quinto, quod à non esse uniti, sit sufficiens mutatio naturaliter & ordinariè loquendo, ipsa indistantia & dispositiones, itemque educatio respectu formarum materialium, & creatio respectu animæ rationalis ita, ut naturaliter loquendo, uniri nihil aliud sit, nisi materiam habere dispositiones, & esse illi formam, quæ educitur vel creatur præsentem, quia verò fieri potest miraculosè, ut non fiat illorum unio, etiam positis illis prærequisitis, hoc inde fit, quia positis illis prærequisitis ponit Deus modum determinantem, quominus illa uniantur; atque ita jam unio erit ipsa materia disposita, & forma indistantes, prout dicunt negationem modi determinantis in casibus miraculosis, ne sequatur illorum unio. Sic v. g. Angelus habet species futurorum à se cognoscibilia, & per præsentiam illorum, naturaliter & ordinariè loquendo, sufficienter determinatur ad esse cognoscitivi futura, si tamen Deus ponat modum determinantem, ne sequatur cognitio, tunc Angelus à non esse cognoscentis futura, ad esse cognoscentis futura, non poterit transire per solam præsentialitatem objecti, & sicut non est necesse, ut detur modus determinans Angelum positā præsentialitatem objecti futuri, ut cognoscat futura; sed sufficit sola negatio modi determinantis & impediens, quominus cognoscat, ita sufficit indistantia formæ & materiæ, unā cum negatione modi impediens, quominus illa uniantur. Et sicut rursus non positā præsentialitatem objecti, si Deus velit Angelum cognoscere futura, sufficit ponere modalitatem determinantem Angelum ad esse cognoscentis, ita non positis dispositionibus, si Deus velit fieri unitum, ponet modalitatem determinantem ad esse uniti.

IMPUGNAT primò hanc responsionem quidam, quod scilicet multiplicet magis entia, quam communis sententia modalistarum, quia quamvis pro ordinariis unionibus non adstruat modalitatem, immò explicat unionem per negationem entis, hoc est modalitatis, tamen pro extraordinariis casibus multiplicat modos specie distinctos, unum quidem qui impediatur, ne materia disposita uniatur formæ, & alium, qui materiæ indispositæ uniatur formam indistantem, majusque est multiplicare entia specie distincta, quam solo numero distincta.

RESPONDERI potest, quando pro principio assumitur non esse multiplicanda entia sine necessitate, agitur de actuali multiplicatione; non autem de possibili & miraculosa; porro hæc responsio non multiplicat actu entia, cum non multiplicet actu modalitates. Quod autem possibilitatem entitatum non prohibeat multiplicare illud principium, ratio est. Tum quia illud principium non prohibet affirmare, Deum posse producere quicquid non implicat contradictionem, dicere autem, hunc vel illum modum esse possibilem, est affirmare Deum posse producere, quicquid non implicat contradictionem. Tum quia etiam per Modalistas possumt dari modi, quorum unus etiam indispositæ materiæ uniatur formam, quamvis ordinariè id non faciat, potest item dari alius specie distinctus, qui impediatur quominus uniatur forma indistans, etiam dispositæ materiæ, & insuper Modalistæ dicunt uniri hæc extrema defacto modis. Ergo Modalistæ magis multiplicant entia.

Possent nihilominus hoc argumentum restitui, quod etiam in miraculosis casibus, si aliquid sine miraculo, & sine multiplicatione entium fieri possit, nec ponendum miraculum, nec multiplicanda entia; nisi aliunde id constet. In principiis autem modalium sine multiplicatione entium sequitur negatio unionis, in casibus miraculosis, sed etiam hæc stabilitio argumenti, infringi potest. Quod si hæc duo comparentur inter se, multiplicatio entium in casibus extraordinariis, & multiplicatio entium in obviis & ordinariis, præeligenda sit multiplicatio in illis prioribus, quia procedetur quasi in alio statu rerum, in alio autem statu potest hoc fieri per entia; quod aliàs fit per non entia, Modalistæ autem in præsentī statu multiplicant entia.

IMPUGNAT secundò idem, quod scilicet unio sit quid positivum. Ergo in illa negatione modi, stare non potest.

RESPONDERI potest, unionem esse quid positivum in recto, hoc est ipsa extrema disposita, licet sit quid negativum in obliquo; & sicut ratio termini in quantitate sufficit, quod sit positiva, ratione eorum, quæ dicitur in recto, ita & ratio unionis. *Ceterum*

CONTRA hanc responsionem est. Tum quia, si unio, seu compositio, esset ipsamet materia & forma

Quid tenendum?

forma disposita, prout dicunt negationem modi impediens, non unio, seu decompositio, esset positio illius modi; cuius unio dicebat negationem, quod ipsum probatur, quia non esse negationis omnis formae & formalitatis non ponitur aliter, nisi positione entitatis, cuius negatio dicebatur, sic v. g. negatio albi non tollitur aliter, nisi positione albi, non esse relationis, non tollitur aliter, nisi positione relationis. Ergo etiam & negatio modi impediens, non potest aliter tolli, nisi positione modi impediens, atqui hoc falsum est, nam in morte non posito ullo modo fit separatio animae à corpore, adeoque negatio unionis & decompositio, procedit autem argumentum de formali ratione disunionis, non autem de materialiter sumpta disunionem, quae haberi potest, utpote malum ex singulis defectibus, adeoque ex negatione dispositionum. Tum quia, quando Deus vult, ne per praesentiam objecti, species Angelicae de futuris compleantur, & ne Angeli de iis eliciant cognitionem, non est necesse ponere modum impeditivum, quominus cognoscant, sed sufficit sola subtractio concursus ad ponendam entitatem cognitionis, essetque hoc multiplicare entia sine necessitate. Ergo & quando vult Deus, ne positus circumstantiis requiritis, uniatur materia formae, non est necesse ponere modum impeditivum, sed solum subtrahere concursum, ne pulset modalitas, de qua differitur. Tum quia videtur hoc esse inventum, non nisi ad eludendum argumentum sine ullo auctoritatis fundamento, & tamen si nihil impedit, praestat potius talem rationem assignare unionis, quae in ordinariis & extraordinariis casibus, eandem rationem prorsus uniti faciat in extremis ejusdem speciei:

Possit hic adhuc adferri ratio, Cur à non esse uniti ad esse uniti transeat, nempe ratione concursus Divini certae differentiae temporis alligati, in qua Deus decrevit fieri aliquod compositum? Sed hoc principium impugnatum in materia de modis.

ADDO insuper, quod concursus Divinus in seipso spectatus, non sit per illos aliqua entitas, quae sit de novo, hinc restaurari potest argumentum jam factum. Impossibile est à non esse concursus Divini alligati certae differentiae temporis, in ordine ad faciendum unitum, ad esse concursus Divini alligati certae differentiae temporis, transire sine sufficienti mutatione, quare quoniam mutatio intercesserit sufficiens?

DIFFICULTAS II.

An unio formaliter accepta, sit modus?

Tenenda erit media via inter sententiam Nominalium & Modalium, Quod ut fiat, sit

PRÆMITTO I. *Distincta sunt haec duo, quære: An unio salvari possit sine modo, & de hoc diximus superiori difficultate; & aliud est quære, an unio sit formaliter modus, sicut aliud est quære: an universale dari possit sine abstractione formali, & aliud est quære, an universale sit ipsamet abstractio formalis. item aliud est quære: an ratio sensitivi dari possit sine animato, & aliud; an sensitivum sit formaliter animatum, & sic de reliquis. Porro in presenti, secundum hunc alterum sensum quærendum erit: Quod ipsum ut explicetur.*

PRÆMITTO II. *Quod aliud sit dicere materiam determinari, ad esse in actu secundo, & aliud est dicere materiam esse determinatam ad esse materiam in actu secundo, nam illud primum habetur à solo actu existentiae, & productionis extra causas, posterius autem habetur tunc, cum materia actu exercet rationem & officium materiae, idem dicendum proportionaliter de forma.*

PRÆMITTO III. *Quamvis certum sit, quod si materia sit determinata ad esse materiam in actu secundo, hoc ipso etiam forma sit determinata ad esse formam in actu secundo, supposito tamen quod aequaliter utraq; pars, rationem unionis ingrediatur, debet exprimi utraq; determinata. Posito autem, quod modus determinativus non ingrediatur rationem compositi tanquam pars intrinseca, sed merè tanquam connotatum, non debet dici, unionem esse materiam, formam, & determinationem, sed materiam & formam prout dicunt determinationem, quantumvis si in respectu illa unio, independenterque à nostris conceptibus, dicet omnia illa tria. Hoc suppositum explicatum alibi. His praemissis*

DICENDUM est. *Quod unio formaliter sit ipsamet entitas materia, prout determinata ad esse materiam, seu subiecti in actu secundo, & ipsa forma, prout determinata ad esse formam in actu secundo, Aristotelicè autem dices, quod unio sit ipsa materia & forma, quia hoc quidem materia, & illud forma est. Non addidi autem, quod hæc determinatio fiat per entitatem modalem, ut magis universale unionis conceptum traderem, si enim darentur materia & forma, quæ non possent, nisi una existere, illæ verè essent unitæ & determinatæ ad esse talium in actu secundo, sine ulla tamen modalitate, & quia defacto ita determinata extrema non dantur, defacto determinatio illa habetur ab entitate modalis in obliquo, & pro connotato importata.*

PROBATUR primò Conclusio. Si nihil oblit, in eo Formalitas unionis statuenda est, in quam constituit Aristoteles, sed ille ipsam constituit in materia, prout exercet rationem & officium.

officium materiae, & in forma, prout exercet rationem & officium formae. Ergo: Major est recepta in Scholis, quoad auctoritatem Aristotelis, quod autem nihil obsit constabit ex solutione argumentorum. Minor probatur, imprimis textibus Aristot. 8. Metaph. text. 15. quærens, quare aliqua non fiant unum substantiale, ut Ilias, aliqua fiant, addit, *Quia si, inquit, hoc quidem materia, hoc verò forma est, & hoc quidem potentia, hoc verò actus, profectò non videtur amplius dubitatio esse, quod queritur.* Rejicit ibidem T. 16. Philosophus antiquos, comminiscens aliquid tertium, ad faciendum compositum, & pro causa hujus erroris assignat, *Causa, inquit, est quoniam potentia rationem querunt unionem, & differentiam, est autem ut dictum est ultima, materia & forma idem, & hoc quidem potentia, hoc verò actus.* Certe textu hoc citato mediam unionem rejicit, dicitque non in unionem id mediam rejici debere, sed in hoc, quia hoc quidem materia, illud forma est. Textus ulterius sic habet: *Quidam copulam anima, & quidam compositionem aut conjunctionem anime cum corpore, ipsum vivere. Attamen eadem de omnibus ratio erit, etenim ipsum sanum esse, aut copula, aut compositio, aut conjunctio anime & sanitatis erit, & as esse triangulum, compositio aris & trianguli, & album esse compositio superficiei & albedinis.* Subjungit Aristot. hæc omnia erronea esse: & rationem reddit, *Causa verò est, quoniam potentia & actus rationem querunt unitatem & differentiam.* Concludit Aristot. *Est autem ut dictum ultima, materia & forma idem.* Vide eundem 2. de Anim. text. 710. & reliquis, hinc conficitur tale argumentum. Id secundum Aristotelem formaliter est unio, quod redditur pro ratione, quare aliqua fiant unum substantiale, atqui hoc, quare aliqua fiant unum substantiale, est, quia hoc quidem materia, hoc verò forma est. E. in hoc, quod quidem materia hoc verò forma est, consistit formaliter ratio unionis, & quia Aristot. nullum fundamentum habuit distinctionis nexus radicalis & formalis, censendus est loqui de unione formali. Et certe loquitur de hac unione illam rejiciendo, quam ponebant antiqui, illi autem adstruebant unionem proximam.

Eadem mens Aristot. exinde colligitur, quia Aristoteles nullum habuit fundamentum superaddendi ad faciendum compositum aliquam entitatem, præter entitatem materiae & formae dispositarum; nam quoad formas materiales attinet, illas censēbat distinctas quidem realiter à materia, sed non separabiles à materia ad sui permanentiam, hinc formas materiales substantiales, secundi Physicorum textu 19. comparat cum figura & similitudine, concreta item accidentalia, comparat cum masculino & feminino septimi Metaph. text. 17. & 6. Metaph. textu 2. quod si censēbat non separabiles à materia, censēbat non posse reperiri disunitas, si

non erant reperibiles disunitas, non erunt indifferentes ad uniri vel non uniri, si non erunt indifferentes ad uniri, vel non uniri, non indigebunt determinativā modalitate; & sicut Modalistæ quia asserunt de sua modalitate unionis, illam non esse indifferentem, ut sit vel non sit unitiva subiecti, etiam per ordinem ad agens Divinum, ideo uniendæ illi non superaddunt alium modum, ita nec Aristoteles addere debuit. Quod attinet ad animam rationalem, nec istam separabilem putabat à materia disposita & organisata, nec enim miracula vidit, quæ agnoscit Christiana Philosophia, quod si non agnovit formam indifferentem ad uniri materiae dispositæ, nec habuit fundamentum superaddendi entitatem, quæ tolleretur indifferentiam.

RESPONDEBIS primò ex Suar. Aristotelem rejecisse entitatem tertiam ratam ad constituendum compositum substantiale, sed non rejecisse entitatem modalem.

CONTRA. Tum quia non rejecit quidem clare, rejecit autem implicite, siquidem pro causa ultima, quare hoc unum seu compositum sit, reddidit, quia hoc quidem materia, & illud forma est: Tum quia talem nexum rejecit Aristot. qualem nexum admiserunt ii, quibus ille se opposuit, illi autem admiserunt nexum modalem, quia admiserunt nexum, sine quo Materia & Forma esse possent, licet ipse nexus sine illis esse non possit. Quia illi non distinguebant inter nexum formæ spiritualis, cum corpore, & inter nexum accidentium cum materia, sed æqualiter de utroque loquebantur, cum tamen nexus accidentium esset per illos talis, ut sine illo posset esse corpus, non ille sine corpore, siquidem & ipsas formas accidentales tales cum Aristotele retro omnes Philosophi agnoverunt, ut sine illis posset esse subiectum, non illæ sine subiecto, Ergo & nexus ille erat talis, ut sine illo potuerit esse materia, licet ille nexus, non potuerit esse sine materia. Ergo si rejecit nexum Aristoteles, rejecit nexum modalem. Tum quia nullum fundamentum est in Aristotele agnitæ entitatis modalis quæ talis, ab illoque probatæ.

RESPONDEBIS secundò, Aristotelem non loqui quare aliqua sint unita, sed tantum quare sint unum per se, quod rectè in hoc principium refertur, quia illud actus, illud potentia est.

CONTRA. Tum quia album ex communiore sensu non est unum per se, Aristoteles autem locis citatis ostendit, quare ex albedine & subiecto fiat unum, id referendum esse; quia hoc quidem actus, illud verò potentia est. Ergo non loquitur de solo uno per se. Tum quia esse unum per se, & esse unitum. v. g. in composito humano, non distinguebat Aristoteles physicè & nemo distinguit, cum ergo dabat Physicam rationem, quare in composito humano partes sint unum per se, idque referebat, quia hoc quidem materia, illud

Solvuntur Objectiones.

illud forma est, etiam censendus est, eandem dedisse rationem quare sint unum, cum non distinguantur physice intra eandem entitatem? Tum quia in citato 8. Metaph. differit universaliter Aristoteles, cui etiam consentit S. Thom. 8. contra Gent. cap. 71. par. Q. 76 a. 6 q. 4. de malo art. 4. secundi de anima Lec. 1. in fine.

PROBATUR secundo Conclusio, si nihil obest debemus Modalitati tribuere modum essendi, qui non sit de genere suo perfectissimus, consequenter si nihil obest non debet illi tribui ratio substantialis, sed posita unione in sola materia & forma, quia talibus in actu secundo, non tribuetur modo modus essendi de suo genere perfectissimus, dicitur enim ille modus, non ingredi constitutive rationem compositi substantialis, sed esse modus in entitate accidentaliter, substantialis autem terminative, quia ordinatus essentialiter ad determinanda extrema substantialia; ad eum modum, quo alterationes clauduntur nomine generationis substantialis, quia scilicet ad substantiale compositum terminantur. Quod autem modalitati non sit tribuendus modus essendi de genere suo perfectissimus, Ratio est. Quia non est ens, sed entis ens, maximeque accedit ad accidens immo est quid illo debilius, hinc accidens licet non possit existere naturaliter sine subiecto, potest divinitus, cum modus ne divinitus quidem sine subiecto existere possit. Deinde sicut non sunt multiplicanda entia sine necessitate, ita nec dignificanda, nulla autem necessitas substantialitandi modum.

PROBATUR tertio, si nihil obest in eo debemus constituere unionem, quod quam optime salvet: quare in resurrectione mortuorum substantialiter iidem sumus resurrecturi, sed posita unione in sola materia & forma prout talibus in actu secundo, salvatur melius, quare in resurrectione mortuorum, iidem substantialiter sumus resurrecturi. Minor probatur, quia posita illa unione substantiali Modalistica, cum eam in resurrectione eandem non sumus habituri, non ita rigore dici poterimus iidem substantialiter resurrexisse, deerit enim aliquid nobis substantiale, nec refert, quod alia substantiali unione longe meliori, quia incorruptibili supplenda sunt vices corruptibilis unionis, nam si nobis daretur corpus ex alia materia, quae est nobilioris speciei, non diceremur substantialiter iidem resurrexisse, ita & hic.

CONFIRMATUR, quia principalis ratio ponenda entitatis modalis, est, ut ostendatur sufficiens mutatio transitus a contradictorio ad contradictorium, huic autem plane satisfiet, posita modalitate determinativa, pro solo non nisi connotato.

OBJECIT primo Arriag. Quando duae res invicem possunt separari, saltem de potentia absoluta, evidens est, eas esse distinctas, quia nihil a seipso potest separari. At possunt esse realiter materia & forma substantialis in rerum natura; & tamen non inter se unitae. Ergo materia & forma comparata ad unionem, sunt distinctae.

RESPONDETUR. Concedendo totum, quia indistincta sunt ab unionem, materia & forma, non quomodocumque sumptae, sed prout tales in actu secundo; si autem simpliciter sumantur materia & forma, deest illic aliquid tertium, nempe connotata Modalitas, a qua nemine cogitante entitative distinguuntur materia & forma, & sine illa non competit materiae & formae ratio unitarum.

INSTABIS. Quando duae res invicem possunt separari, evidens est, eas esse distinctas realiter, sed potest esse materia & forma, & non esse talis in actu secundo. Ergo materia & forma illae quae tales in actu secundo, sunt duae res, quae ad invicem distinguuntur.

RESPONDETUR. Materiam & formam in circumstantia Modalitatis non posse non esse tales in actu secundo, quod ipsum connotatum si desit, distinguuntur ab illo entitative materia & forma: Deinde ea distinguuntur realiter, quae possunt separari separatione entitativa, non tamen ea, quae possunt separari separationem ejusdem aliter se habentis, potestque materia & forma non esse tales in actu secundo, non secundum quod illa talitas aliquid dicit in recto, sic enim dicit ipsam entitatem materiae & formae, sed secundum quod talitas dicit aliquid in obliquo, nempe connotatam modalitatem, a qua indubie distinguuntur entitative. Videantur dicta circa hoc argumentum, in materia de Relatione.

OBJECIT secundo idem. In generatione hominis datur propria & rigorosa actio generativa. Ergo aliquid per illam producit, non materia neque forma rationalis, nam haec non generantur. Ergo debet produci unio utriusque partis. Ergo haec est distincta ab utroque.

RESPONDETUR primo. Actionem productivam, noviter entis, habere terminum distinctum realiter, a re, hoc est, debere esse productivam novae entitatis, sed actio productiva noviter ejus quod est pure ex entibus, non debet habere distinctum terminum realiter a re, sed sufficit quod habeat distinctum formaliter. *Hac Responsio*

NON SATISFACIT. Tum quia formalitates in nostra sententia, non sunt quid distinctum nemine cogitante, quomodo ergo seipsis, distinctam

finctam nemine cogitante, terminabunt actionem. Tum quia actio illa productiva noviter, extrahitne aliquid extra causas noviter, vel non extrahit? Si non extrahit noviter, Ergo neque est actio productiva noviter, ut potest cui non respondet passum; Si verò extrahit noviter, Ergo dat necessarium noviter existentiam. Si autem dat existentiam noviter, rogo quid desideratur, quod ille terminus, habeat esse realis à re. Tum quia immerito diceretur v. g. Paternitatem esse terminum strictæ & rigorosæ actionis productivæ, cum ergo formalitatis compositi comparativè ad materiam & formam simul sumptas, non minor sit Physica identitas, quam Paternitatis in Relato: non poterit dici illa formalitas terminare propriam & rigorosam actionem productivam:

RESPONDERI potest aliter, imprimis querendo: an Aristoteles agnoverit propriam & rigorosam generationem hominis vel non? Si agnovit, & tamen censuit nihil substantiale à generante produci, (nam censēbat materiam esse ingenerabilem, animam item rationalem non censuit generari, unionem item modalem substantialem non admisit) quid mirum erit, si cum Aristotele asseramus, etiam positā rigorosā generationem hominis, non esse necessarium, ut aliquid substantiale, reale producat novum, si autem non agnovit rigorosam generationem hominis, probandum hoc venit asserenti, vel cum ipso sentientes non arguendi, præcipuè quia hic involvitur quæstio de voce: ut mox videbimus. Rursus pone Modalitatis non constare, posse materiam & formam indistantes præsentibusque non uniri, tunc jam non cogitent de modis in composito, jam ne tunc temporis negassent generationem substantialem, quodque illi vellent responderi in sententia Aristotelis, casuque proposito, idem nos in præfenti dicere poterimus.

Directè autem argumento duplici viâ satisfieri potest, imprimis distinguendo generationem, in generationem remotam, & proximam; Generatio remota est, productio dispositionum quæ sunt accidentia, vocantur tamen generatio substantialis, quia terminatur ad substantiale aliquid, nempe compositum; Proxima autem generatio, est instantanea inductio materiæ in formam, ista etiam habet terminum realem, non quidem materiam & formam, nam hæc ingenerabiles sunt, sed habet ipsam entitatem modalem determinativam, ut hæc materia, sit materia in actu secundo; & hæc forma, sit forma in actu secundo; & hæc entitas, sit entitativè accidens, & terminativè non nisi, substantialis. Quod ipsum sic illustrari possit. Entia quò magis abstrahunt à materia, eò dependent à paucioribus causis, & ita cum Deus abstrahat ab omni materia, etiam Metaphysica, hoc est potentialitate ad existere,

convenit illi aseititas seu independentia. Rursus Angeli cum abstrahant ab omni materia Physica seu corpore, non tamen Metaphysica, convenit quidem illis ratio dependendi, sed non nisi ab una causa hoc est DEO, Angelus enim non generat Angelum. Bruta verò quia non abstrahunt, & quoad materiam, & quoad formam, quoad esse materialis, ideò dependent in suo fieri, & à DEO, & à generante, cuius actio, immediate ad ipsam formam materialis educationem terminatur. Jam verò homo cum esse suo, participet, & cum Angelis, & cum Brutis, quod quidem forma illius non dependeat à generante dissimilatur Brutis, assimilaturque Angelis, ab eodem non nisi principio habendo pendente formam, hoc est à DEO; à quo solo etiam Angeli habent esse dependens: quia nihilominus dissimilantur Angelis homines, debuerunt pendere in suo esse; quod est generari à pluribus principiis, hoc est & à DEO, & à generante, licet sese minùs extendente, quam extendatur in generatione Brutorum, ideò generans hominis non extendendo sese ad formam, extendit se ad positionem dispositionum, cum tamen nullæ dentur dispositiones ad esse Angeli.

Alia via est satisfaciendi eidem argumento, inquirendo quid veniat nomine generationis substantialis, ejusque rigorosæ, hæc enim quantumvis rigorosa generatio, non importat productionem substantiæ, nam in Divinis est generatio, & non est productio substantiæ. Rursus si per rigorosam generationem substantialem intelligis productionem entis de prædicamento substantiæ, ex eo quod etiam Divina substantia, quæ generatur, sit de prædicamento substantiæ, ad hoc etiam dici potest, quod non sit deratione substantialis productionis rigorosæ, productio entis de prædicamento substantiæ, cum nulla particula definitionis, generationis substantialis id deponat. Quod si per rigorosam generationem substantialem creatam intelligas dispositionem substantiæ, ut evadat totum substantiale eo sensu, etiam nos dari concedimus generationem substantialem, quod etiam voluit S. Thom. par. 1. q. 118. art. 2. ad quartum, ubi inquit, *Homo generat sibi simile, in quantum per virtutem seminis ejus, disponitur materia ad susceptionem talis forme.* Ubi S. Thom: non in productionem alicujus substantialis à generante, sed in materiæ dispositionem refert generationem, vultque illam esse substantialem, hoc est dispositivam substantiæ, per aliquid substantiale decifum, non autem per productionem alicujus substantialis novi.

INSTABIS Primò. Generatio substantialis debet habere terminum substantialem, Generatio hominis est generatio substantialis, Ergo non habet pro termino modum, qui est accidens.

RESPONDETUR. Negando quod generatio substantialis immediata, debeat habere termi-

num substantialem immediatum, habet enim pro termino dispositiones quas producit, sed generatio substantialis secundum terminum immediatum, hoc est compositum, debet esse substantialis, vel certe generatio substantialis debet habere terminum substantialem, hoc est vi cuius vel disponatur substantia, decisione virtutis substantialis, vel producendo aliquid de prædicamento substantiæ, sed non debet esse semper per productionem alicujus substantialis. Quamquam cum Modalistæ ponunt actionem esse de genere accidentis, hoc ipso negabunt illam esse in entitate substantialem, cur ergo & de generatione hominis, idem non poterit dici, ut illa sit nonnisi terminativè substantialis?

INSTABIS Secundò. Mors hominis est corruptio alicujus substantialis, sed non est corruptio materiæ & formæ, Ergo est corruptio substantialis unionis aut modi illius, qui tunc rumpitur, adeoque debet esse substantialis.

RESPONDETUR. Mortem hominis esse corruptionem substantialem, quia est corruptio totius, quod denominatur homo, & est aliquid substantiale, ita ut homo non tantum sit subiectum denominationis, sed & terminus formalis corruptionis, certè enim Aristoteles agnovit substantialem corruptionem hominis in morte, nec tamen agnovit distinctum subiectum denominationis, à termino formali. Conformiter ad dicta supra dici potest. Mortem hominis esse corruptionem alicujus substantialis terminativè, sed non esse corruptionem alicujus substantialis, entitativè.

ADDO. Nihil omnino plus habere præ nobis Modalistas, ratione cuius salvent aut generationem substantialem hominis, aut ejusdem corruptionem, illorum enim modalis unio, seipsa non est homo, si non est homo seipsa, ergo nec ipsa est terminus generationis hominis, quia generationis humanæ terminus, debet esse homo, idem dic de corruptione substantiali. Sicut ergo per illos sufficit immediatum terminum ponere talem, quo posito non possit non esse genitum, quod est homo, aut corruptum, quod est homo, ita & per nos suffecerit, ponere illud connotatum Modale, tam enim unionem illorum substantialem, quam modum nostrum, sequitur compositum hoc, quod est homo. Unde ulterius non facit ad propositum, si vè illud sit accidentale, si vè substantiale, ad quod sequitur esse vel corrumpi hominis, siquidem antecedens illud, si vè substantiale, si vè accidentale, non est homo: hic autem quæritur de termino generationis vel corruptionis humanæ, qui terminus homo est. Deinde nihil per Modalistas refert, an effectus producat per substantialem, an per accidentalem actionem, modò producat tali actione, quâ posita inimpedibiliter ponatur effectus, ita nec referre debet quale sit in entitate quod immediatè generatur vel cor-

rumpitur, modò sit tale, ut illo posito, in impeditibiliter ponatur homo, sublato autem, tollatur. Denique expresse Ovied. docet hic con. 4. p. 2. n. 4. quòd unio non sit quid, nisi accidentaliter pertinens ad constituendum hominem, nam quantumvis crearetur unio, idem maneret compositum, quomodo ergo ratione illius unionis, potiori modo debet dici esse corruptio vel generatio hominis eaq; substantialis.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur reliqua argumenta.

OBJICIT Tertiò Anriag. contra dispositiones, sed ejus argumentum etiam ad præsens accommodari potest. Si vè unio consisteret in materia & forma talibus in actu secundo, connotando illam modalitatem, quæ est accidens, homo non esset totum substantiale, involveret enim in suo conceptu illud determinativum quod est accidens.

RESPONDETUR. Rationem substantialis desumi à solis partibus, quæ sunt substantiales, hoc est materia & forma, quæ quia ordinantur ad se, tanquam actus & potentia ejusdem ordinis, consequenter non ita se habet, sicut acervus lapidum, nec ita sicut calor comparatus ad hominem, quia calor comparatus ad hominem, est accidens. Quæri etiam potest exponente: an corpus sit de substantiali conceptu hominis, si est de substantiali conceptu hominis, dicam quòd de substantiali conceptu illius, dicam quòd de substantiali conceptu illius, accidentia; nam per illum in ratione corporis organici formatur corpus accidentibus. Addit Pontius, quando homo dicitur esse totum substantiale, si intelligitur quòd partes quas includit sint substantiales, vera est propositio, si autem intelligatur, quòd non includat aliquod accidens, ullo modo, falsa est propositio.

OBJICITUR Quartò ex Oviedo, accommodando argumentum illius. Si determinatio illa modalis, se haberet ut connotatum, vi cuius existat unio, identificata cum materia & forma. Ergo esset contradictio, ut existeret alia unio distincta à materia & forma, vel ipsa esset formaliter unio. Antecedens probatur, unio identificata cum materia & forma, nihil aliud est quam materia & forma. Sed illud connotatum non est conditio, ut existat materia & forma. Ergo non est conditio, ut existat unio identificata cum materia & forma.

RESPONDETUR. Modum illum esse conditionem, ut existat materia & forma non quomodocumq;

cunque, sed ut existant quā tales in actu secundo, cum quibus solis quā talibus, est unio identificata. Antē Instantias mox ponendas.

SUPPONO. Principia alia scilicet de Connotatione, & de conceptu ut sic partis, de quo tractatum est in materia de Sacramentis in communi sub initium: nempe licet negemus aliquibus convenire rationem partis, concedimus tamen illa esse essentialiter & indispensabiliter requisita, ita ut sine illis, impossibile sit denominationem illam haberi, quantumvis denominationem illam, illa requisita non ingrediantur per modum partis. Unde in presenti denominatione Uniti, dicitur Materiam, Formam, Modalitatem illam determinativam, licet illa Modalitas determinativa, non habeat se, vel per modum partis ad totum unitum, nec tanquam ratio ejusdem formalis.

Consequenter, si in re loqui velimus, denominationem uniti, & compositum, dicitur Materiam, Formam, Modalitatem, quantumvis illa modalitas, non sit ratio formalis uniendi, nec pars in denominatione uniti, ad eum modum, quo in relatione Transcendentali importatur fundamentum; ratio fundandi, Terminus, licet ipse Terminus, nec sit pars relationis, nec ratio formalis referendi.

Et quia, ut dixi, in re, hoc quod est esse habentem Materiam denominationem Materiam in actu secundo, & formam habentem rationem formae in actu secundo, est denominationis, tria illa importans Materiam, Formam, Modalitatem, ideo sine illis tribus, impossibile est illam haberi, quantumvis ipsa illa modalitas non sit pars illius denominationis, nec ipsa ratio formalis denominandi. Quid ergo deest Materiam & Formam existentibus ne habeant rationem talium in actu secundo, adeoque unitarum? deest illa modalitas, quae nisi supponatur, non potest intelligi illa denominationis.

INSTABIS Primò ex eodem. Formam & Materiam unitas existere, vel dicit aliquid supra existentiam utriusque entitatis, vel tantum dicit utramque existentem, si aliquid dicit distinctum. Ergo unio distinguitur à Materia & Forma, si nihil dicit. Ergo quotiescunque existunt, toties sunt unitas.

RESPONDETUR. Quod esse unitas nihil dicit plus secundum quod esse unitas, aliquid importat in recto, nihil inquam plus dicit, supra existentiam Materiam & Formam, esse tamen unitas secundum id, quod esse unitas dicit in obliquo, est quid distinctum ab entitate utriusque, in obliquo enim importat modalitatem. Secundum etiam phrasim praesurpatam, esse unitas supra existentiam utriusque Entitatis dicit Materiam, non quomodo docunq; sed exercentem actum secundum materiam, & formam exercentem actum secundum formam, quod est quid distinctum, acquiriturque ratione connotatae modalita-

tis, de novo advenientis. Denique secundum suppositum immediate adlatum loquendo, Materiam & Formam existentibus ne sint unitas, deest modalitas connotata, distinguiturque unio à materia & forma, sine connotatione modalitatis sumptis, licet illa ipsa connotata modalitas, nec sit ratio formalis uniendi nec pars uniti, sed est tantum necessarium essentialiter praerequisitum.

INSTABIS Secundò ex eodem. Conditio distinguitur realiter à ratione formali ad quam est conditio. Ergo illud connotatum, cum sit tanquam conditio, distinguitur à ratione formali; quo posito sic ulterius urgetur. Ratio illa formalis prout distincta à connotato, vel dicit praeter materiam & formam aliquid, vel non dicit: si dicit aliquid, Ergo unio distinguitur à materia & forma; si non dicit, Ergo ratio formalis unionis sita erit in solis illarum entitatibus, adeoque quoties hae entitates existunt, toties existet unio.

RESPONDETUR imprimis, Negando universaliter, quod conditio sit distincta realiter à forma, ad quam est conditio, quia existentia est conditio ad hoc, ut aliquid sit causa; & tamen indistinguitur realiter à causa; negatio distantiae est conditio ad praesentiam, & tamen ab illa indistinguitur realiter. Unde tantum verum est conditionem, esse distinctam realiter à forma, si forma sit Physica, non autem si forma sit Metaphysica: in presenti autem unio, est forma Metaphysica materiae & formae, quā talium, in actu secundo. Rursus negatur, manere rationem formalem, quando sumitur conditio distincta à connotato, sed manet non nisi ratio formalis inadæquata; adæquata enim importat etiam illud connotatum: hinc à ratione formali illud connotatum distinguitur realiter inadæquate, eo quod illud complexum includens quaecunque spectantia ad unionem, importet illam conditionem, tanquam aliquod praerequisitum, ut pullulet ratio formalis adæquata unionis, & adæquata ratio relationis transcendentalis importat terminum, licet non tanquam partem compositivam, ita importabitur & illa modalitas, licet nec sit unio, nec illam componat per modum partis. Denique dici potest, quod ratio formalis unionis prout conditio distincta ab illo modo, supra entitatem materiam, dicat aliquid non entiativè sed formaliter distinctum, quod ipsum formaliter distinctum, non pullulet antè positionem illius connotati.

INSTABIS Tertiò idem. Unio secundum entitatem suam Physicam & secundum formalitatem nemine cegitante, non distinguitur à materia & forma, sed posita materia & forma praexistit unio secundum entitatem Physicam, Ergo existit etiam secundum formalitatem.

RESPONSUM in simili circa relationem, quod breviter repetitur: Unionem secundum formalitatem spectatam, in quantum formalitas unionis, dicit aliquid pro subiecto, pro intrinseco &c. non distingui à materia & forma; licet formalitas unionis in quantum aliquid dicit pro connotato & extrinseco intrinsece requisito, distinguatur à materia & forma, quia modus ille quem importat unio, non habet eandem entitatem cum materia & forma.

INSTABIS Quartò. Connotata illa modalitas per nos inadæquatè distinguitur, ab illa ratione unionis, quod nō potest dici, quia si inadæquatè tantum distinguitur, quomodo non est Pars intrinseca Unionis, sicut forma eò quod inadæquatè distinguitur à toto, est pars totius.

RESPONDETUR. Connotata illa modalitas inadæquatè distinguitur ab illa ratione unionis, loquendo de Unionem in re, in quantum illa complectitur sive sua intrinseca, sive extrinseca essentialiter requisita, licet sit adæquatè distincta illa modalitas ab unionem sumpta pro iis, in quæ tanquam intrinseca, cadit denominatio unionis; & ita in sententia communi Connotatistarum tempus vespertinum distinguitur inadæquatè à cœna, in quantum cœna complectitur omnia, sine quibus impossibile est esse cœnam, licet tempus vespertinum non sit pars cōstitutiva, cœnæ nec sit illi intrinsecū quid. Cum hoc tamen stat, ut sine illo connotato, non habeatur denominatio nec cœnæ, nec unionis. Quòd autem forma, eo quòd inadæquatè distinguitur sit pars totius, hoc exinde oritur, quia in denominationibus, quæ non sunt petibiles ratione alicujus connotati, rectè infertur esse hoc partem, si inadæquatè distinguitur, sed in denominationibus petibilibus ratione alicujus connotati non infertur determinatè ex inadæquata distinctione, quia hoc est pars, sed tantum infertur quòd aut si pars, aut connotatum extrinsecum, intrinsece & necessàriò requisitum.

INSTABIS Quintò. In Principiis nostris, connotatum est adæquatè aliud, ab eo cuius est connotatum, ut terminus à relatione, cur non & illa modalitas erit adæquatè aliud, à ratione formali unionis.

RESPONDETUR. In principiis nostris, connotatum est adæquatè aliud, ab eo, cuius est connotatum, si sumatur connotatio pro eo solo, in quod intrinsece cadit denominatio connotativa. Sed non est adæquatè distinctum connotatum ab eo, quod sive pro intrinseco, sive pro extrinseco intrinsece requisito, dicit connotatio: quò etiam sensu nec terminus à tali complexo, est adæquatè distinctus.

OBJICITUR Quintò. Unio formaliter est determinatio materiæ & formæ ad esse talium in actu secundo, sed modus est ista determinatio. Ergò modus, est unio formaliter.

RESPONDETUR. Unionem formaliter esse determinationem materiæ & formæ, ad esse talium, determinationem inquam Metaphysicam. Modus autem est determinatio Physica, & determinatio, quæ habetur à modalitate, est antecedens compositionem, determinatio autem quæ habetur ab unionem, non antecedit compositionem, sed est ipsa compositio.

Hunc modum ponunt aliqui inter dispositiones quibus non assentior, quia si esset dispositio effectus illius formalis primarius, non erit nisi disponere; adeoque adhuc saltem in ordine ad potentiam absolutam, relinquet impedibilitatem, ne sequatur unio. Sed de hoc reliqua vide in materia de Unionem Hypostatistica.

COLLIGES. Per quid distinguitur hæc nostra sententia, à sententia Modalium, & Nominalium? Per hoc: quia Nominales, non recurrunt ad salvandam denominationem uniti ad ullam modalitatem, recurrit præsens sententia; à Modalistis autem per hoc distinguitur, quia illam modalitatem non ponit pro ratione formali uniendo, sed pro necessàrio requisito.

DIFFICULTAS III.

De aliis Unionem Concernentibus.

Partior Difficultatem. *Sic*

Punctum Difficultatis 1.

Estne illa Modalitas una?

DICENDUM est, *Modalem determinationem, non nisi unam esse, in unoquoque composito*, ita Suar: Vasquez Arria: Oviedo contra Hurta: & recentiorum Suar:

PROBATUR primò. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate. Ergò nec Modales determinationes, nulla autem necessitas plurificandi has Modalitates.

RESPONDEBIS, quòd non ponantur duæ adæquatè distinctæ Modalitates, seu secundum terminos Hur: uniones, sed duæ inadæquatè partiales, duo autem inadæquata partialia, non æquivalent nisi uni, ex quo sequitur nullam fieri concessà illà duplici Modalitate entium multiplicationem, ad eum planè modum, cum partia ter duo ignes ad eandem stupam igniendam concurrunt, non æquivalent nisi uni igni.

CONTRA. Quia etiam hoc est multiplicare entia sine necessitate, nam etiam ponere duas causas partiales, si nulla sit necessitas, est multiplicare entia, et si id quod habet rationem inadæquati, possit habere rationem adæquati; apponere illi aliud inadæquatum, est multiplicare entia

tia sine necessitate. Nulla autem necessitas, ponendi duas illas inadæquatas Modalitates.

PROBATUR secundò accommodando ad præsens, argumentum Oviedi. Effectus formalis determinationis est constituere illud, quod determinat componens unum compositum cum alia comparte. Ergò determinatio, quæ se tenebit v. g. ex parte materiæ, constituet materiam componentem, unum cum forma. Ergò etiam constituet, formam, componentem unum cum materia; nam materia componens unum cum forma, & forma componens unum, cum materia, ne præcisiuis conceptibus differunt; quia quicquid respondet ex parte objecti in uno, respondet ex parte objecti in alio, nam quòd idem in recto & postea in obliquo idem ponatur, nõ arguit præcisionem objectivam, sicut panis cum vino, vinum cum pane, ut dixi in materia de relatione non præcindunt.

RESPONDEBIS in ista Propositione: Materia componit unum cum forma, respondet unio, seu determinatio subiectata in materia; & alia determinatio, cum dico, forma componit unum cum materia.

CONTRA. Quia hoc ipsum est quod negatur, aliam scilicet debere respondere determinationem, cum sufficiat unam respondere.

PROBATUR Tertiò. Positâ determinatione in sola materia, ad hoc, ut sit potentia formæ, ut sit materia in actu secundo, &c. vel unitur forma materiæ vel non unitur: Si unitur. Ergò immeritò duæ requiruntur determinationes; si positâ determinatione in sola materia, non unitur forma materiæ, Ergò nec materia illi unitur. Quod ipsum probatur, tum quia impossibile est, Petrum assidere Paulo; quin Paulus assideat Petro, si enim alteruter non sedeat, neuter dici poterit, assidere. Ergò etiam, si forma non unitur materiæ, nec materia dicenda est uniri formæ. Tum quia si potest uniri materia formæ, & non uniri forma materiæ, positâ solâ unione materiæ ad formam, erit ne compositum vel non? si erit compositum. Ergò superadditam aliam determinationem otiosè requiris; si non erit compositum, contra erit, quia quæcunque legitimâ ratione definieris compositum, ex illa, deducetur esse illic compositum, & si dixeris esse compositum partiale, contra erit, quia nihil plùs illud totale dicet. Tum quia quando per te solum materia unitur formæ, vel tribuit illi effectum suum formalem forma vel non tribuit; Si tribuit, Ergò superfluit alia modalitas; Si non tribuit, Ergò possibile est haberi in subiecto aptam formam, & non haberi illius effectum formalem.

RESPONDET primò Mastrius. Quamvis similitudo sit essentialiter duorum assimilatio, hoc non obstante est illic duplex relatio, ergò & geminanda unio.

CONTRA. Quia similitudo potest spectari physicè, & sic una est, nempe qualitas in hoc, & qualitas in illo, seu ut dicit Aristoteles, quorum qualitas eadem est. Deinde potest similitudo spectari Metaphysicè, & sic est duplex conceptibilis formalitas relationis, sic etiam in præsentī ex eadem proportionē sufficiet Physicè una modalitas, licet alia sit formaliter futura unio, huius cum illo, alia illius cum hoc.

RESPONDET secundò. Positâ unione illâ unâ, unum tantum unietur intrinsecè, aliud extrinsecè.

CONTRA. Quia quamvis aliquid non recipiat in se unionem, modò sit terminus illius intrinsecus, nihil illi oberit quominus dicatur esse unitum intrinsecè, adhucque illo extremo per modum termini se habente, mutabitur illud extremum, casu quo additione illa, licet in se non subiectata, perficiatur in ordine ad operationes, ad quas dicit essentialē ordinem, tanquam sui perfectionem.

RESPONDET tertiò, per unionem unam ambo extrema esse unita, sed non ambo formaliter.

CONTRA. Quia si aliud extremum evadat terminus intrinsecus unionis, nihil deest quominus dicatur esse unitum formaliter; & licet Materia & Forma unita debeant esse relata mutuo, nego hanc relationem mutuam, salvari non posse, sine receptione unionis in utroque; & sicut accipiendo fundamentalem similitudinem, & Physicè, non est necesse quidquam recipi nisi unam qualitatem, cum tamen una qualitas, non sit similitudo, sed accessus alius qualitatis, facit simile; ita non est necesse poni aliquid in alio extremo, sed accessus alius extremi, hoc extremo habente se tanquam termino intrinsecò, potest evadere formaliter unitum relatum, &c. Quid autem sit terminus intrinsecus, explicatum in Materia de Incarnatione, ubi: cur Verbum non mutetur in Unione Hypostatica.

Punctum Difficultatis 2.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR Primò. De essentia unionis, & in nostris principiis, de essentia est determinationis, respicere aliquid ut subiectum, aliquid ut terminum, sed hoc non potest esse nisi duplex modalitas; nam aliàs utramque partem respicere ut subiectum. Major probatur, nam unio vel modalitas hypostatica, est verè unio, respicitque naturam humanam ut subiectum, verbum ut terminum intrinsecum.

RESPONDET Arriag: Negando Majorem probationi illius consequentiam, quia est à partu-

riculari ad universale. Negari etiam potest minor, quia sicut relatio respicit unum ut subiectum, aliud ut terminum, quantumvis in termino non recipiatur, ita & determinatio aut unio modalis, idem habere poterit.

INSTABIS. Forma ut unita materiae, est perfectio materiae, Ergo ut unita, debet recipi in materia, Ergo modus unionis debet recipi in materia.

RESPONDETUR. Transeat totum, posito præcipue quod modus iste sit materialis. Deinde dici potest, negando formam ut unitam, unione appropriatâ soli formæ, esse perfectionem materiae, sed est illius perfectio, vel propria, vel communi utrique unione, unita.

OBJICITUR. Secundò, tam unio quam determinatio nostra modalis, debet recipi in utroque extremo, quia impossibile est manere aliquid intrinsecè unitum, vel determinatum, per unionem vel determinationem, quæ non recipiatur in illo. Materia autem & forma sunt intrinsecè unita.

RESPONDETUR. Arriag: unionem illam recipi in utroque extremo, sed commodè dicitur quod modalitas illa respiciat unum tanquam subiectum, & aliud tanquam terminum intrinsecum, & sic Verbum Divinum est intrinsecè unitum, quamvis sit non nisi terminus intrinsecus Modalitatis, ceteroqui non nisi in sola humanitate, subiectata.

INSTABIS. Non potest quidquam dealbari albedine in alio receptâ. Ergo nec uniri unionem in alio receptâ, aut determinari determinationem, in alio receptâ.

RESPONDETUR. Si procedat argumentum de subiecto recipiente determinationem, cui vicissim aliud non connectitur, sicut non connectuntur parietes duo, vel homo & paries, totum argumentum concedi debet. Si autem procedat de indistantibus, ad se ordinatis, &c. extremis, imprimis retorqueri potest argumentum; quare Verbum sit unitum intrinsecè humanitati, quantumvis Modalitatem in se nullam recipiat. Rursus albedo vel recipitur immediate in quantitate vel immediate in materia, certum est non recipi illam immediate in forma, quia hæc non comparatur ad albedinem, ut ejus materia, & tamen non ipsa materia denominatur alba, sed paries, qui etiam importat formam; quod si ad dandam denominationem in composito albi, etiam formæ, sufficit quod ratione unionis, contribuant sibi sua prædicata, quam contributionem prædicatorum, non faciunt duo parietes distincti, utpote non ordinati ad se, tanquam actus & potentia, ita etiam contribuent sibi sua prædicata materia & forma, quando ad se comparabuntur ut Actus & Potentia in actu secundo tales, quamvis unionem, unum tantum extremum recipiat. Denique

dici potest dealbationem utpote ens absolutum, non respicere aliud tanquam terminum intrinsecum: consequenter non habere ullum titulum dealbandi aliud, jam autem determinatio materiae, ad esse unitæ formæ, est quid relativum, respiciensque formam tanquam terminum intrinsecum, ideo ille vel hoc titulo tribuere potest denominationem determinatæ vel unitæ.

OBJICITUR Tertiò. Relatio in sententia istorum, qui illam distinguunt realiter, quando duo extrema referuntur, non sufficit ut sit una. Ergo nec in sententia nostra sufficit ut sit una modalitas.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia possibile est esse unum relatum, & aliud non referri, hinc definitivè relatio, non est duorum habitudo, sed habitudo ad aliud, etsi relatio esset definitivè duorum habitudo, non esset necesse duas relationes ponere; quia autem unio vel nostra modalitas, est duorum habitudo, unio enim semper est duorum, nec sunt separabilia, ut materia uniatur formæ, & vicissim forma non uniatur materiae, hinc fit ut sufficiat unionem & determinationem modalem, esse unam. Deinde cum universaliter falsum sit, modalitatem hanc debere in utroque extremo recipi, cum non recipiatur in Verbo, cumque non sit ratio, quare sufficiens sit una modalitas in uno composito, & non sit sufficiens in alio, hinc fit, in omni eventu posse poni unam modalitatem, quæ ratio non inquit rationem, cur Modalitas non possit recipi in Verbo, sed attendit ad hoc; si in Christo sufficiens est una modalitas, non in utroque extremo recepta, cur non aliàs sufficiat.

OBJICITUR Quartò recentior Suar. Illa modalitas est duorum extremorum, Ergo ex vi definitionis non magis se tenet ex parte unius, quam ex parte alterius.

RESPONDETUR. Ex vi non nisi talis modi vel unionis determinat sibi hoc potius subiectum, sed indifferens aliàs esset, ut in alterutro subiecto recipiatur.

INSTAT Primò. Si modalitas dicta se tenet tantum ex parte unius extremi; cur non potius definitur vinculum vel determinatio unius extremi ad aliud vel cum alio.

RESPONDETUR. Est Quæstio de modo loquendi, in qua maxima ratio petitur ex placito, sed hujus placiti hæc etiam potest dari ratio, quia ly aliud vel alius importat aliquid extrinsecum, quia autem composito, neutra pars est extrinsecum, fit ut neutra pars, debeat illis terminis exprimi. Rursus ideo non appellatur modus ille determinatio unius extremi ad aliud, vel cum alio, quia hæc Phrasis importat quasi majoritatem & specialitatem unius extremi uniti quam alius; unio autem vel ille modus, se æquè ad utrumque extendit, in ordine ad

ad vinculare, vel determinare, neque magis una pars in ratione compositionis componit quam alia, jam autem si diceretur illa modalitas determinare unum cum alio, significaretur specialitas unius extremi præ alio, & sicut v. g. non est bene cultus sermo, Rex mecum fuit in prandio, sed tu potius fuisti cum Rege, quia Rex habet præcellentiam, ita & in presenti non rectè diceretur unio esse unius extremi cum alio, quia illi competeret etiam præcellentia.

INSTAT 2. Relatio ex eo quod non sit in utroque extremo, sed in uno tantum, ad aliud, non dicitur respectus duorum extremorum, sed unius ad aliud. Ergo etiam & unio si non esset in utroque extremo, deberet dici unius unio ad aliud.

RESPONDETUR. Negando idè dici relationem ad aliud, quia in uno extremo ponitur, sed quia terminus est quid extrinsecum relationi; nec per modum partis intrare debet in compositionem huius, quod est relatum, hinc rectè nominatur ad aliud; è contra quia extrema media unione, vel propter determinationem modalem intrare debent compositum, per modum partium intrinsecarum, hinc unio non debet dici unius ad aliud.

INSTAT 3. Mastrius. Terminatio ad formam unionis receptæ in Materia, solum sufficit ut dicatur extrinsecè unita, non autem ut dicatur unita intrinsecè. Omnis enim modus essendi intrinsecus, unius rei cum alia, ad unionem per informationem reducitur, quia denominatio intrinseca sumitur à forma intrinseca.

RESPONDEO. Nego si aliquid se habeat per modum termini intrinseci, quod non possit dici unitum intrinsecè, quamvis non se habeat per modum subiecti receptivi. Negoque rationem intrinseci, reduci semper ad informationem. Et licet denominatio intrinseci sumatur à forma intrinseca, id tamen verum est, aut de forma intrinseca recepta, aut ad se terminata, tanquam ad aliquid extrinsecum.

Quod autem dicit Mastrius, etiam Verbum esse unitum extrinsecè; eò quod licet sit intimè conjunctum, non minùs quam materia formæ, id tamen contingat per unionem in ipso Verbo non receptam, quod inquam dicit non convincit; nam ut alibi visum, plurimi dicunt verbum esse intrinsecè unitum, etsi est intimè conjunctum, licet unione non in se recepta, cur non poterit dici intrinsecè unitum; & si potest salvari intimitas conjunctionis, non recipiendo conjunctionem, cur non potest salvari intrinsecitas unionis, sine receptione unionis. Quod autem dicit hoc esse peculiare unionis hypostati-

cæ ratione infinitatis & immutabilitatis verbi, id etiam non convincit, si enim est de essentia uniti, recipere unionem, etiam infinitum & immutabile aut uniri non deberet, aut deberet in se recipere unionem, cur debet indispensabiliter in humanis in utroque extremo recipi, cum possit esse hæc unio Materialis, adeoque impropor-tionata animæ spirituali, ipsumque principium: Non sunt multiplicanda entia, id evincat. Et licet receptio afficiat Materiam, informatio formam, quia tamen formaliter illa receptio, est ipsamet Materia in diversis connotatis, itemque formalisatio, est ipsa forma in diversis itidem connotatis, non erit necesse multiplicare uniones, sed tota multiplicatio, erit penes entitatem Materiæ & Formæ.

OBJICIT 5. idem Recentior Suar. Non est potior ratio, cur modus ille determinativus in uno potius quam altero extremo subiectetur. Ergo debet in utroque subiectari. Si subiectatur in utroque necessario duplex est, quia unus modus non potest identificari cum duabus realitatibus, alioqui hæc essent idem realiter inter se ex illo principio: Quæ sunt eadem uni tertio.

RESPONDETUR. Ipsa materialitas modi, determinat sibi subiectum materiale, concessò etiam quod in utroque extremo recipiatur modus, non video quomodo identificatio extremorum sequeretur, cum neutrum extremum cum ipso modo identificetur, qui distinctam entitatem habet, sed tantum sequetur, sicut junguntur unit tertio, ita jungi inter se. Ad-do in processu ulteriori arguendi immeritò supponere eundem, quod non debeat dici Verbum unitum Humanitati, sed tantum Humanitas Verbo, bene enim dicitur, Verbum Caro factum est, quod tamen unionem importat. Unde etiam ad convertentiam dicitur. DEUS factus est homo, ut homo fieret DEUS. Non nego tamen, quod solum dicatur Verbum assumpsisse humanitatem, non humanitas Verbum, quia quod assumitur, assumptione dignificatur, ut dicitur creatura assumi, ad opera miraculosa, privatus ad dignitatem; jam autem humanitas est dignificata à Verbo, non Verbum ab humanitate, & quamvis assumptio & unio sint idem realiter, non tamen sequitur, quod phrasæ quæ pro uno tenent, teneant pro alio, nam Trinitas cum Patre, Filio & Spiritu Sancto sunt idem realiter, & nihilominus in nomine Trinitatis non tenet baptismus.

OBJICIT 6. Mastrius. Si forma uniretur materiæ, quantum sufficit ad constitutionem
† u compo-

compositi, ob solam terminationem Modalitatis in Materia v. g. receptæ, sequitur formam absque ulla sui mutatione, informare materiam, quod fieri non potest, cum in hoc consistat Incarnationis Mysterium, quod Verbum sine ulla mutatione, unitum sit naturæ humanæ.

RESPONDEO. Formam tunc duplici ex capite mutandam: imprimis quia transit à non esse ad esse. Secundo, quia cum essentialiter illa forma sit ordinata ad corpus, adeoque habet esse ordinatum ad corpus, etiam operari, debet habere aliquod ordinatum ad corpus, & quia hoc operari exercere extra corpus non potest, neque enim anima extra corpus gustat, cumque unione ad corpus acquirat, ut possit proximè exercere illas operationes, tanquam se perficientes, ideò anima, illà modalitate receptā in materia, mutatur. Quia autem in unione hypostatice Verbum nec accipit esse, nec perficitur in ordine ad operationes, quæ sunt perfectio Verbi, & ad quas ex natura sua essentialiter ordinatur, ideò nec mutatur. Sed de hoc in Materia de Incarnatione.

OBJICIT 7. idem. Partes acquirunt perfectionem in constitutione totius, cum enim sint essentialiter imperfectæ, uniuntur, ut in composito perficiantur; id autem fieri nequit, nisi per receptionem alicujus perfectionis, quæ separata carebant: & hæc esse nequit, nisi peculiaris cuiuslibet ad aliam unio, omnis enim perfectio fit ex aliqua additione, mera autem terminationis nihil addit, unde etiam visio perficit potentiam, non objectum.

RESPONDETUR. Quod partes acquirant perfectionem in constitutione totius, quod autem hoc fieri debeat per receptionem perfectionis, si intelligatur per subjectionem in se perfectionis adveniens falsa est propositio; si ly per acquisitionem perfectionis, supponat pro acquisitione perfectionis seu complementi. Concedo propositionem; potest autem aliquid, quia evadit terminus alicujus, habere complementum suæ perfectionis, ut si ordinatur essentialiter, ad hoc, ut evadat terminus, sed in præsentem non ex eo præcisè perficitur anima, quia evadit terminus, sed quia evadendo terminus completur in ordine ad ponendas operationes aliquas, ad quas etiam essentialiter ordinatur. Et licet omnis perfectio sit ex additione, nego tamen quod hæc additio debeat esse per receptionem, cum possit fieri ratione unionis ad se terminata, licet præcisè ratio termini non faciat terminum perfici, ratio tamen termini intrinseci unionis, potest facere, ut terminus ille perficiatur, casu quo incompletio illius essentialis, (qualis est hic in ordine ad operari aliquas actiones) tunc compleatur. Objectum autem non est terminus intrinsecus actus.

Punctum Difficultatis 3.

Estne hæc modalitas materialis.

DICENDUM. *Hanc modalitatem esse materialem.*

PROBATUR. Quia cum in generatione hominis neque materia neque forma à generante producat, si nihil obstat, ostendendus est proximus & intimus influxus in compositum, quod dicitur generari; intimior autem ostenditur hic influxus, si ponatur hæc modalitas materialis: nam tribui poterit tanquam effectus generanti, quo effectu posito, inimpedibiliter etiam à Deo, fit compositum, generari autem non posset, si esset spiritualis. Consequenter *Hæc modalitas recipitur in materia, quod*

PROBATUR 1. Quia nullum est fundamentum, quod in re spirituali, qualis est anima hominis, recipiatur aliquid materiale, ut autem uniformius procedatur etiam in aliis compositis, cur non recipitur in sola materia?

PROBATUR 2. Quia si nihil obstat, debemus quam proportionatissimum formis subiectum tribuere, enti autem materiali subiectum proportionatum, est materia.

PROBATUR 3. Si modus materialis recipitur in spirituali subiecto, deberet recipi secundum modum essendi animæ, nam quidquid recipitur, per modum recipientis recipitur; jam autem modus existendi animæ rationalis est, ut sit tota in toto, & tota in qualibet parte, quod connaturaliter competere non potest enti materiali.

OBJICITUR 1. Forma est indifferens ad uniri: Ergo indiget aliquo recepto, ut fiat unita.

RESPONDETUR. Negando consequentiam, sufficit enim extrinsecum determinativum.

OBJICITUR 2. Ideò verbum non perficitur unione, quia non recipit unionem vel illam modalitatem determinativam. Ergo illa recipi in utroque extremo debet, si utrumque perfici debet.

RESPONDETUR. Adtribuendum effectum formalem, sufficit, in extremo secum unito aliquid recipiatur, nam albedo non recipitur in forma parietis, & tamen parietem tribuit suum effectum formalem. Non ideò autem Verbum non perficitur, quia non recipit unionem, sed quia præcontinet omnem possibilem perfectionem, quam si non præcontineret, participaret ab humanitate, quantumvis non reciperet unionem. Rursus non ideò Verbum non perficitur illà Modal-

Modalitate, quia illam non recipit, sed quia vi illius, ad se terminatur, nec in esse, nec in operari perficitur.

OBJICITUR 3. Si unio reciperetur in sola materia, deberet intrinsecè terminari ad formam, hoc autem quod est intrinsecè terminari est inexplicabile.

RESPONDETUR. Quid sit terminus intrinsecus variant in explicatione auctores, explicationem adlatam ab Arriag. impugnauit Oviedo, consule illum. Explicat postea Oviedo terminum intrinsecum, dicitque esse id quod pertinet ad constitutionem unius per se, per unum autem per se intelligit quodcumque totum; prout distinctum à toto morali, & toto per aggregationem. Cui explicationi addenda aliqua limitatio, certè enim ipsa materia subiectans modalitatem pertinet ad compositum, neque tamen est terminus intrinsecus respectu illius modalitatis, sed subiectum: hinc commodius dicitur terminum intrinsecum esse id, ad quod est habitudo alligativa Physicè, illudque requiritur tanquam extremum constituens unum per se. Secundum terminos in materia de Incarnatione usurpatos, terminus intrinsecus est, id, quod habet rationem cohibentis, limitantis, & ad quod, ita tamen ut habeat rationem alligati Physicè, de quo ibi fufus.

INSTAT quidam. Omne intrinsecum perfectionis, nisi quid obstat subiectatur in suo perfectibili, ut constat in ductione, sed unio perficit utrumque, ergo in utroque subiectatur.

RESPONDETUR. Quod obstat: quia commodius est ponere unionem hanc materialem, adeoque talem quæ non sit apta recipi in spiritali subiecto universaliterque id quod requirit aliud tanquam terminum intrinsecum, non est necesse in eodem recipi, taliter autem unio spiritalis vel modalis respicit formam.

QVÆSTIO II.

De Composito quod datur.

IN hac Quæstione agitur contra Scotistas, qui docent distingui realiter compositum à partibus componentibus, quod quidem extendi potest etiam ad composita possibilis, quia tamen circa compositum, quod datur, nihil aliud speciale tractandum occurrit, res sub hoc titulo expeditur. Circa quod

PRÆMITTO I. Non esse difficultatem in hoc: An compositum distingatur saltem realiter in adæquatè à suis partibus, certum enim est distingui; nam cum includat tam materiam, quam formam, quam unionem, (de qua loquimur aliàs, tanquam de distincta, sub nomine

eius, non nisi modalitatem determinativam intelligendo, ut ita secundum communes Phrases planius disceptetur) hinc à materia v. g. distinguitur realiter in adæquatè compositum, propter formam & modalitatem, quæ compositum includit, & non sunt idem realiter cum materia.

PRÆMITTO 2. Tam partem à composito, quam compositum à parte, distingui realiter, sed ita ut modus distinctionis habeat se aliter, nam compositum à parte distinguitur realiter in adæquatè, addendo aliquid positivum, quod comparatum ad partem, est ab illa realiter adæquatè distinctum, certè enim forma inclusa in composito, à materia itidem inclusa, distinguitur realiter adæquatè. Pars autem à toto distinguitur quidem etiam realiter in adæquatè, sed importando non nisi aliquid negativum, scilicet negationem identitatis cum alia parte, quam dicit totum. Dicitur autem ista distinctio à composito, realis in adæquatè, quia compositum dicit v. g. materiam, quæ à seipsa non est distincta realiter, hinc materia à composito non dicit distinctionem realem adæquatam, quia non dicit distinctionem à seipsa, & tamen illa ipsa includitur in composito.

PRÆMITTO 3. Aliam esse hanc Quæstionem: An totum præter materiam & formam & unionem dicat esse tertius, distinctum realiter, ab illis tribus simul & collectivè sumptis, & aliam hanc, an in toto, præter materiam formam & unionem, sit adhuc aliquid aliud esse substantiale, non quidem quod sit per modum totius, includentis illa, & tamen distincti ab illis, sed per modum substantialis, esse totius ingredientis; priorem partem docent Scotistæ, posteriorem noster Vasq. de Incarnatione d. 19. n. 28. quia à forma, docet tribui materiæ, esse quoddam substantiale.

PRÆMITTO 4. Partes in ordine ad totum multipliciter comparari posse, vel unitas, vel non unitas. Rursus si comparentur unitæ, comparari possunt vel unitæ distributivè acceptæ, ad eum modum quò possum accipere Apostolos 12. omnes, sed sigillatim, vel unitæ collectivè acceptæ, & in hoc posteriori sensu, queritur, an distingatur totum substantiale, à partibus, illarumque unionem, collectivè sumptis.

PRÆMITTO 5. Quod advertit Oviedo aliud est querere: an à materia, forma & unionem simul sumptis distingatur compositum, & aliud, an distingatur à partibus simul sumptis & unitis, dicitque compositum distingui realiter in adæquatè à partibus simul sumptis, & unitis, non est tamen distinctum à materia forma & unionem simul sumptis. Rationem assignat, quia partes simul sumptæ & unitæ non dicuntur

† u 2

unio-

unionem in recto sed in obliquo, sicut lignum album, dicit albedinem non nisi in obliquo, & ita non identificantur partes etiam in adæquatè cum unionem, cum qua identificatur totum; adeoque totum dicit aliquid, quod non dicunt partes unitæ simul sumptæ, ratione cuius distinguere poterit à partibus unitis, simul sumptis. Cæterum hæc adversio illius non convincit, vel enim procedit de distinctione petibili ex modo alio significandi; quod scilicet semel in recto, semel in obliquo importetur unio, vel modalitas, & hæc distinctio petibilis ex modo alio significandi; concedi potest, sed eam sub quacunque Phrasi debet concedere Ovid. in toto comparato ad partes & unionem, eandem distinctionem, quia semper totum importat alium modum significandi; nam totum collectivum significat, partes autem & unio, sigillatim significant. Unde etiam in Theologia dicitur, non tenere baptismum in Nomine Trinitatis, quia non eodem modo significat Personas, ac cum dico in Nomine Patris, &c. Si autem sit res de distinctione petibili ex ipso objecto, illa nulla est, quia nulla est distinctio in re, inter idem in recto, & idem in obliquo significatum, & ita vinum & panis non distinguuntur à vino eodem, cum pane eodem. *His præmissis sit*

DIFFICULTAS I.

De distinctione totius à partibus totius.

DICENDUM est: *Compositum à materia & forma & unione simul sumptis collectivè, non esse distinctum realiter.* Est conclusio nostrorum contra Scotistas. Est Sententia conformis S. Thom. 4. contra Gent. cap. 81. *De humanitate, inquit, non est intelligendum, quod sit forma consurgens ex conjunctione forme ad materiam, quasi realiter sit alia ab utroque, quia cum per formam materia fiat hoc aliquid actu, illa tertia forma consurgens, non esset substantialis sed accidentalis;* Et paulò post: *humanitas ergo nihil aliud dicitur, nisi principia ipsa essentialia conjuncta, idem habet.* 2. Q. 13. Art. 1. & 1. par. Q. 77. art. 2. ad 2. & in 4. disp. 44. Q. 1. art. 4. questione 3. Sen- sit idem Aug. 7. de Trinitate Cap. 4. *Homo, inquit, nihil est aliud quam anima & corpus, intel- lige unita, ut ipse addit.* 9. de Civ. c. 3.

PROBATUR I. communiter. Totum vel includit aliquid præter materiam & formam & unionem, vel non: Si non includit. Ergo non habet rationem cuius ab illis distinguatur: Si includit: Quæro an totum distinguatur à materia, forma, unione, & illo incluso vel non distinguatur; si non distinguatur, nec distinguetur à

materia, forma & unione ob paritatem rationis: si distinguatur, dabis processum in infinitum.

RESPONDENT Scotistæ. Totum non distinguatur à materia, forma & unione per aliquid in se inclusum, sed per seipsum resultans, tanquam quid includens partes & unionem, adeoque in adæquatè.

CONTRA. Tum quia non solvitur argumentum propositum, illud enim ipsum resultans, vel est aliquid etiam in adæquatè, præter illa tria, vel nihil: Si nihil. Ergo non distinguitur ab illis; si est aliquid, quæro: illud totum complectens illud resultans & illa tria, vel distinguatur, vel non distinguatur, redibitque argumentum factum. Tum quia, ut urget Ovidio, hoc, quod tu dicis distinguere per seipsum, vel distinguatur per aliquid, quod non est tota sua entitas, vel distinguatur per totam suam entitatem: non per aliquid quod non sit tota sua entitas, quia nihil est in toto, quod non sit tota sua entitas, si autem totum distinguatur tota sua entitate, à materia & forma & unione, simul sumptis. Ergo distinguatur adæquatè, quia distinguatur unum ab altero adæquatè, est distinguere per totam suam entitatem. Tum quia illud ipsum resultans, prout condistinctum, vel est nihil, vel aliquid: Si nihil, Ergo non distinguatur entitative ab illis tribus: si aliquid, Ergo prout condistinctum aliquid in se includit, contra quam assumebat Responsio.

PROBARI solet 2. Tum quia forma totius non nisi cum partibus est totum. Ergo est in composito veluti pars compositi, nam seipsa non est totum compositum, & quoniam compositum nihil habet præter partes & formam totius, quæ est per modum partis, sequitur etiam per ipsos, compositum, ab omnibus suis partibus non esse distinctum. Tum quia hæc forma totius vel est simplex vel composita; si est composita non habebit unde componatur, nam non poterit componi ex materia & forma, quia illas à se propter realem ab illis distinctionem excludit, non etiam poterit componi ex aliis partibus, quia ab his, ob paritatem rationis, distinguere etiam deberet realiter; quod si forma totius est simplex, quomodo est compositum. Tum quia illa forma totius in homine, vel est materialis, vel est spiritualis: Si est spiritualis, quomodo resultare potest etiam ex corpore, & si visio principiata cum oculo, evadit materialis, cur non & illud totum, cuius principium est etiam corpus, si autem totum illud est materiale, Ergo homo ut homo, non est rationalis, quia homo ut homo, est homo ut totum, homo autem ut totum, formam materiali constitueretur, forma autem mate-

materialis non principiat operationes ratiocinandi.

PROBATUR III. argumento negativo: quia nulla est necessitas distinctionis, ut patebit solutione argumentorum.

PROBATUR IV. Maximè attendendo ad illorum doctrinam, qui docent tertiam illam entitatem, non esse aliquid *præter hæc*. hoc est materiam & formam unitas, esse tamen *aliquid ex his*. Tum quia illa entitas, vel dicit alicuiusmodi materiam & formam unitis, vel non dicit: Si non dicit. Ergo nec dicit distinctionem; Si dicit alicuiusmodi illa tertia entitas à materia & forma unitis. Ergo dicit non esse, seu negationem materiam & formam unitarum; si dicit negationem materiam & formam unitarum: Ergo non tantum est aliquid *ex his*, sed etiam est aliquid *præter hæc*; illud scilicet quod dicit illam negationem materiam & formam unitarum. Tum quia tertia illa entitas, quæ non est aliquid *præter illa tria*, est tamen aliquid *ex illis*, vel est se solâ, totum esse hominis; vel non est, se solâ, totum esse hominis; si tertia illa entitas, est se solâ, totum esse hominis, Ergo ad esse hominis, non est requisitum essentialiter corpus & anima rationalis unita, cum esse seu essentia hominis, in sola illa tertia entitate sistat; Si autem tertia illa entitas, non est se solâ, totum esse hominis, sed etiam anima & corpus unita, sunt etiam illud esse, Ergo esse hominis, est compositum ex duobus, uno, quod est tertia illa entitas, seu totum, & aliud quod sunt partes, consequenter illud totum, *Ex his*, & erit totum ut supponitur, & non erit totum, quia ad esse hominis etiam illæ partes requiruntur. Tum quia illa tertia entitas *ex his* prout condistincta à materia & forma unitis, consequenter prout dicit negationem materiam & formam unitarum, vel includit materiam & formam unitas, vel non includit: Si non includit, quomodo illud totum, est homo, sine corpore & anima humana: si prout condistincta ab illis, adhuc illa includit, Ergo ab illis non distinguitur, quia illa non negat. Tum quia non est explicabile quid sit illa tertia entitas, dices est compositum; quæro, quid sit illud compositum præter materiam & formam, dices est quid includens, quæro, quid sit in re istud includens, dices est quid resultans *ex illis*; quæro, quid est in re, hoc resultans.



DIFFICULTAS II.

Restaurantur quadam argumenta pro conclusione.

PROBATUR V. Conclusio. Rationibus quas sibi opposuit easque solvere conatus est Pontius.

I. RATIO. Si totum comparatum ad materiam, formam & unionem esset distinctum realiter, possent ad invicem separari, totum enim, est quid absolutum.

RESPONDET Pontius: Totum, esse quid relativum, & etiam si esset absolutum, separari non posset, quia dependet essentialiter ab alio absoluto, nempe partibus & unionem, partes etiam & unio à toto separari non possunt, quia dependent à toto à posteriori: eodem modo quod agens dependet ab effectu à posteriori.

CONTRA. Tum quia si totum est relativum, vel est ita relativum, ut in toto relatio, secundum opinionem Scoti, sit distincta realiter vel indistincta: Si distincta, de illo ipso distincto & tamen toto, quæro, cur non possit separari? Si indistincta, consequenter ad principia Scotistarum non proceditur, quia hi distinguunt relationem realiter. Ergo ulterius totum formaliter acceptum, non includit materiam & formam, nam hæc sunt absoluta. Tum quia si totum ex eo est relativum, per Pontium, quia dicit ut sic formaliter unionem, quæ est respectus, quæro quare est major connexio Totius cum unionem, quam ejusdem Totius cum materia & forma? Quod si non est major connexio, cur non æquè involvet materiam & formam, quæ sunt absoluta; quod si æquè ista absoluta involvet, quomodo probabitur ex eo inseparabile esse totum, quia dicit respectum, immò si hæc tertia entitas consurgit etiam ex materia & forma, immerito dicitur ut sic formaliter dicere unionem, cum etiam dicat formaliter materiam & formam, Tum quia positâ tali dependentia totius à partibus, qualis est, agentis ut agens est, ab effectu, sequitur adhuc separabilitas totius à partibus, quamvis enim agens ut agens, ab effectu in sensu reduplicativo separari non possit, separari tamen potest in sensu materiali; & sic Pater ut Pater, dicit necessariò Filium, cum tamen hoc stat, quod separari possint. Ergo etiam quantumvis totum ut totum separari non possit à materia & forma unitis, poterit tamen totum in sensu materiali acceptum, à partibus separari. Tum quia essentialis dependentia non arguit inseparabilitatē,

† u 3

fid

si id quod dependet non se habeat ut modus, habeatque distinctam suam entitatem: Tum quia, si dependentia essentialis totius à materia & forma, facit, ne totum ab illis separari possit, quid rogo est ista dependentia? si enim per dependentiam essentialem intelligitur, quod unum existere non possit quin existat aliud, negatur in præfenti talis dependentia, idque eò titulo quia distincta realiter possunt sine eo existere quoad suam Entitatem: Si autem aliquid aliud intelligatur, rogo quid illud est, & quomodo fundat inseparabilitatem.

II. RATIO est. Si daretur tertia entitas distincta à partibus, faceret, compositionem cum ipsis, & sic ex ea & partibus resultaret alia tertia entitas & sic in infinitum.

CONFIRMATUR hoc ipsum. Illa tertia entitas vel est aliquid compositi, vel non est, si non est, Ergo neque spectat ad compositum; si sic, ergo est pars compositi, & consequenter compositum, nihil dicit præter partes.

RESPONDET Pontius. Nequando Sequi. cum enim inquit compositum sit ex partibus, non debet facere compositionem cum ipsis; ad eum modum, quò in nostra sententia, totum distinguitur realiter à qualibet parte, seorsum sumpta, & tamen non facit compositionem cum illa, quia aliàs esset pars alicujus alterius compositi. Ad confirmationem autem dicit, quòd illa tertia entitas, non sit aliquid compositi; sed ipsum compositum, & addit quòd si tertia illa entitas spectetur per modum abstracti Metaphysici, à composito considerato ut concreto, ipso hoc sensu concedit illam tertiam entitatem, posse dici aliquid ipsius compositi Metaphysicè loquendo: sed non sequitur, quòd sit pars Physica ipsius, nec consequenter sequitur, quòd totum sit quid distinctum realiter ab omnibus partibus Physicis & ab omnibus, quæ in ipso, physicè includuntur.

CONTRA est. Tum quia de hoc ipso quaeritur, cur totum compositum ex partibus non faciat compositionem cum ipsis, cum & totum & partes integrent hominem, hinc quod est in quaestione, pro ratione non erat dandum. Tum quod adfert pro instantia, non convincit; nam quando communis sententia docet, totum distinguì realiter inadæquatè à qualibet parte seorsum sumpta, docet quòd non quidem sub formalitate totius, sed sub formalitate alia, fiat illorum distinctorum extremorum compositio, & sic cum totum distinguì dicimus, realiter inadæquatè à materia, totum quod præter materiam dicit formam, non sub ratione totius, sed sub formalitate formæ, facit compositionem

cum materia. Tum quia ex eo quòd compositum sit ex partibus, videtur potius sequi, debere illud facere compositionem cum ipsis, nam cum sit præter partes tamen constituens hominem v.g. eundem, videtur potius componere cum illis hominem, explicandumque veniret, quòd sit istud compositum ex partibus, compositione quæ inferat distinctionem realem.

CONTRA dicta ad confirmationem opponi potest. Tum quia hoc ipsum probandum fuit, quòd tertia illa entitas, non sit aliquid compositi, cum compositum & illam tertiam entitatem, & præterea materiam & formam, dicat. Tum quia, si totum non est distinctum realiter ab omnibus partibus Physicis, nec est distinctum realiter, quia distinctio illa, deberet esse Physica. Quòd si dicas non esse distinctum ab omnibus partibus Physicis, quia non est à seipso distinctum, hoc ipso supponet, esse illud totum partem Physicam, quia non posset ulla alia pars ostendi Physica, à qua non esset distinctum realiter compositum, nisi à seipso. Tum quia tertia illa entitas respectu compositi spectati ut concreti, vel est per modum partis Physicæ, vel non est per modum partis Physicæ: Si non est per modum partis Physicæ, nullo modo distinguitur realiter nemine cogitante, sed ad summum formaliter ex natura rei in sententia Scotistarum, & sicut quia animalitas non est pars Physica, non distinguitur realiter nemine cogitante, ita & illud compositum; Si est nonnisi abstractum Metaphysicum, non distinguitur realiter; Si autem est per modum partis Physicæ, contradicetur immediatè factæ responsioni.

III. RATIO est. Quæ constant iisdem partibus sunt idem realiter, sed totum constat iisdem partibus, quibus constant partes unitæ. Ergo.

RESPONDET Pontius. Quod scilicet totum constet Partibus aliter se habentibus, nempe ut unitis, adeoque distinguì poterit ab illis realiter.

CONTRA. Tum quia in hoc quod est constare partibus aliter se habentibus, vel involvitur eadem nonnisi entitas partium, vel non eadem: si non eadem. Ergo non eadem entitas partium, quæ illæ sunt v.g. in homine, aliæ, præter materiam & formam? Quòd si est eadem entitas, Ergo est negatio distinctionis realis, nam eadem entitas, à seipsa, non distinguitur realiter. Tum quia hoc ipsum quod est aliter se habere illas partes, inexplicabile est, qui inferat distinctionem realem, nisi ponatur nova entitas, præcipue quia hæc discurretur de partibus unitis collectivè sumptis, adeoque istud aliter se habere, quod deberet convenire partibus in composito, jam reperitur in partibus ipsis quæ unitæ debent

bent sumi, cum quæritur, an sint distinctæ realiter à composito.

IV. RATIO. Definitum & definitio non habent diversas realitates, partes autem Physicæ sunt Physica definitio totius. In idem ferme recidit, hic alius medius terminus. Quod est de essentia rei non distinguitur realiter ab illo, partes unitæ sunt de essentia totius. Ergo.

RESPONDET Pontius. Negando definitionem Physicam cum definito esse idem realiter, addit quod partes Physicæ non sint definitio Physica totius se solis, non enim possum dicere hominem esse animam rationalem, & corpus unita, sed deo dicere est aliquid constans animâ rationali & corpore unitis.

CONTRA. Tum quia Definitio Metaphysica est idem realiter cum definito Metaphysicè spectato. Ergo & definitio Physica, erit idem realiter cum definito Physicè spectato. Tum quia si definitio Physica, non est idem realiter, cum definito physicè spectato, hoc ipso non est definitio illius, ad eum planè modum, quò si homo definiatur definitione muli, hæc definitio non erit definitio hominis, hocque videtur deponere conditio definitionis, quæ debet clarioribus terminis, definitum evolvere, explicareque naturam rei, quomodo autem explicabit naturam rei, id, quod non est naturæ rei, sed quid ab illo realiter distinctum? Illud quod addit, non convincit, quia quando definitur *Ens rationis*, esse id cuius totum esse, est tantum objectivè in intellectu; nemo dicit importari distinctionem realem inter ens rationis, & inter id, quod est tantum objectivè in intellectu, quæram enim de ipso quod in re est *Ens rationis*, quid sit illud. Unde dici potest illud ly *id* vel *aliquid* poni non nisi loco generis, non verò ad significandum aliquid distinctum realiter.

V. RATIO est. Tertia illa entitas vel uniretur partibus vel non uniretur; si primum. Ergo non spectaret ad entitatem eandem; si uniretur. Ergo ex illa tertia entitate, & ex partibus, sequeretur tertia illa entitas, & sic in infinitum.

RESPONDET Pontius: Non uniretur propriè illa entitas, quia illa uniuntur propriè, quæ se non includunt, totum autem includit partes. Addit admissio: quod unatur compositum partibus, negat confluentiam illam tertiam entitatem; sicut enim ad unionem non sequitur unio, ita ad tertiam entitatem, non sequitur tertia entitas.

CONTRA. Totum includens partes, parti possumus in id quod includit, & illud quod includitur, de hoc ipso quod includit, prout distinctum realiter, ab eo, quod includitur, quæro, uniturne vel non partibus, redibitque argumentum factum. Tum quia verum qui-

dem est, illa quæ uniuntur propriè, non se includere, sed id verum est, non de iis, quæ constituturum substantiale, hoc ipso enim non esset unum substantiale, si & identitate & unione carerent. Tum quia quamvis ex unione non sequatur alia unio, hoc inde fit, quia non est fundamentum idem, ponendæ secundæ unionis, quod fundamentum est ponendæ primæ, nempe determinatio indifferentiæ, quod autem est fundamentum ponendi primi compositi distincti realiter à partibus unitis, idem est fundamentum secundi compositi, nam quia uniuntur partes accedit illis novum, quod est compositum, ita quia est unum extremum quod sunt partes unitæ, & aliud extremum quod est ipsum compositum, consurget novum compositum, ita ut sicut ex compositione partium inter se, sequitur tertia entitas, ita ex compositione totius cum partibus (quæ compositio pro hac parte responsionis admittitur) sequetur alia quarta entitas, & sic in infinitum.

DIFFICULTAS III.

De Argumentis in oppositum.

OBJICITUR I. Auctoritas. *Prima sit auctoritas Aristotelis.*

I. ejus Locus est secundi de anima textu 27. ubi dividit substantiam corpoream in tria membra, Materiam scilicet Formam & Totum compositum. Ergo Totum infert Pontius, est distinctum à materia & forma.

RESPONDETUR. Negando consequentiam, si sit res, ut debet esse, de distinctione reali, nam falsum est quod omnia membra dividendia, debeant esse distincta realiter. Certè enim actio & passio à se non distinguuntur realiter, nec omnia membra debent esse res, nam principium dividitur in privationem, quæ non est res. Ens dividitur in positivum & negativum, neque tamen negativum Ens, est res quæpiam.

II. Locus est ex quinti Metaph. cap. 14. ubi ait: Sex non esse bis tria sed semel sex, quod est falsum inquit Pontius, nisi constitutum totum ex his tribus, esset distinctum à bis tribus.

RESPONDETUR. Loqui hinc Aristotelem de sola distinctione rationis, cum certè si ponantur sex homines, quid in re est illud sex, præter illos homines.

III. Locus est ex 7. Metaph. textu 7. ubi docet compositum, non esse sicut acervum, sed se habere quemadmodum Syllabam *Ba*.

RESPONDETUR. Neque per hoc significari

distinctionem realem, neque enim Ba. Realiter distinguitur ab B. & A. simul sumptis, quamvis unionem quandam vocalem importet, quæ non sit sola approximatio, qualis est in lapidibus, hinc si B. & A. approximantur pronuntiatione, si non habeant unionem quandam vocalem, quæ requirit abjectionem e, adjuncti in pronuntiatione B, non fiet Syllaba Ba, ita & compositum dicitur non solum approximationem partium, sed & unionem illarum. Rursus ad conditionem acervi, parum interest, si vè sic, si vè ita ponatur lapis, jam autem in Syllabis intercedere debet ordo habitudoque, quæ si mutetur, non erit idem jam totum, seu eadem Syllaba; & ita interest ad Syllabam Ba ut prius B ponatur, & si præponatur A. non erit jam eadem Syllaba. Significat ergo Aristoteles etiam in composito, debere haberi ordinem & habitudinem, nec mansurum idem compositum accedente aliâ formâ.

IV. AUCTORITAS est, quâ utitur Mastrius, quod Aristoteles loquens de compositione substantiali, non dixerit materiam & formam esse per se unum, sed facere per se unum.

RESPONDETUR. Istud facere, esse non nisi ex modo concipiendi distinctum, ab ipso facto, nec locus hic ostendit requiri majorem distinctionem. Quod autem nunquam dixerit Arist. materiam cum forma, esse per se unum, id non convincit, nam partes substantiales, semper in recto importantur, adeoque non poterat dicere Arist. quod Materia cum forma, sit per se unum. Rursus non potuit dicere Aristor. quod Materia & forma sint per se unum, quia cum materia & forma sint plura per se partialia, quomodo sine superaddita explicatione, dici poterunt per se unum? Sed quando Arist. locutus est de materia & forma circumscriptis jam, nego quod æquivalenter non dixerit; Cum est compositum, esse materiam & formam per se unum, appellat enim 8. Metaph. Textu ultimo compositum substantiale, materiam & formam idem.

V. AUCTORITAS est 8. Metaph. c. 15. ubi ait: Omne quod plures habet partes, & non est totum quasi coactio, ipsum totum est aliquid aliud præter partes, unde etiam 7. Metaph. textu ultimo ait, quod caro non solum est ignis & aqua, ex quibus componitur, sed etiam aliquid aliud.

RESPONDETUR. Aristotelem illo loco non plus voluisse, quam quod quando est aliquid verè genitum, & non se habeat sicut acervus lapidum, debeat dari causa istius generationis. *Quæcûq; plures partes habent, inquit, & non est totum causa coactio, sed ipsum totum, est aliquid præter partes* (ut indubiè genitum non est anima & corpus, si tanquam partes & distributivè sumantur) *est ali-*

qua causa, & etiam si totum sit aliquid præter partes, sufficit ut sit aliquid ratione, præter partes. Posteriori etiam loco idem vult, quod caro non sit ignis & aqua tanquam partes, & distributivè sumpta, sufficitque ut sit aliquid aliud ratione. Fortè etiam significat quod elementa, non sint Formaliter in Mixto.

Secunda Auctoritas est S. S. Patrum, ex quibus est Achanasius, qui prout citat Magister in tertio distinctione 2. Anathematizat eos qui totum hominem quem assumpsit DEI Filius, de novo assumptum, vel liberatum, tertiâ die à mortuis resurrectisse non consentiunt.

RESPONDETUR. Non plus velle Sanctum Patrem, quam quod post resurrectionem partes Christi non fuerint disjunctæ, ita S. Thomas 3. par. q. 60. Ar. 3. ad 2.

Tertia Auctoritas est Concilii Constantiensis, damnantis propositionem Joannis Hus, quod natura Divina, & natura humana, sit unus Christus.

RESPONDETUR. Damnata esse hanc propositionem in sensu affirmato hæreticè, nempe quasi ex confusis duabus naturis, facta fuerit una tertia natura.

Obijciunt secundò. Omnis causa vera & realis quæ causatur per influxum verum & realem, distinguitur à suo effectu realiter, neque enim idem causare potest seipsum, sed materia & forma sunt veræ causæ compositi. Ergo.

RESPONDETUR primò huic argumento, Materiam & formam collectivè sumptas, non esse causas compositi; adeoque neque ab illo distingui, sed esse causas Compositi distributivè acceptas, distributivè autem acceptæ unaquæque, distinguitur realiter inadæquatè à composito; licet ut illa ipsæ distributivè acceptæ causent compositum, non debeant privari confortio suo. Sic v. g. ut hæc propositio: Omnes Apostoli constituunt numerum 12. sit vera, non debent Apostoli sumi collectivè, sumpti enim collectivè, non constituunt duodenarium numerum, sed sunt ipsi 12. distributivè tamen accepti, causant duodenarium numerum, sed rursus quando distributivè accepti causant duodenarium numerum, non causant illum nisi simul, quia si vel unus absit, non erit numerus duodenarius. Sic etiam in præsentibus, partes collectivè acceptæ, non causant compositum, sed sunt ipsum compositum, distributivè tamen acceptæ causant compositum, sed causant simul, hoc est non ita una, quin causet etiam alia. Ubi ut vides, ly simul, non debet, applicari ad partes, quia partes simul sumptæ & partes collectivè sumptæ, verbis differunt; sed applicari debet ly simul, ad causare: secundum quoniam.

quam distinctionem, propositiones illæ Pontii, materia & forma simul sumptæ, sunt causa adæquata totius, item materia & forma causant copulativum compositum, distinguendæ sunt: Si enim ly copulativum & simul applicetur ad causare, veræ erunt propositiones; si applicentur ly: simul & copulativum ad partes, falsæ propositiones erunt.

Contra Responsionem.

INSTAT I. Mastrius. Materia & Forma non sunt integra causa compositi substantialis nisi ut unitæ, & copulativum sumptæ, nam partes unitæ sed singulatim sumptæ, non sunt causæ compositi, nisi partiales; & collectivè sumptæ, integrant unam causam totalem, Ergo compositum cum sit effectus, causatus ab eis collectivè sumptis, erit quid realiter distinctum, ab ipsis collectivè sumptis.

RESPONDETUR. Materia & Forma non sunt causa integra compositi substantialis, nisi ut unita & copulativum sumptæ, hoc est, quia causatio unius, supponit consortium alterius, adeoque simul, construendo, cum causare, concedo Antecedens; non sunt causæ nisi ut unita applicando ly: simul, & copulativum ad ipsas partes, nego Antecedens. Probatio autem Antecedentis hoc solum evincit, quod concedit distinctio.

INSTAT 2. Causa partialis ut partialis respicit totalem, & causa inadæquata adæquatam, sed forma unita materiæ, est causa partialis & inadæquata compositi, & è converso, est etiam causa inadæquata, Materia unita formæ, ergo simul & collectivè sumptæ, integrant unam causam adæquatam.

RESPONDETUR. Formam unitam materiæ esse causam partialem, si excludatur consortium aliæ causæ, & si ly simul non se teneat ex parte causare. Concedo Major: Si non excludatur consortium aliæ causæ, & ly simul applicetur ad causare, licet non applicetur ad partes, erit tunc forma causa partialis, nego maiorem.

INSTAT I. potest 3. Quæ est distinctio inter partem unam causantem compositum, in consortio alterius, & illius causatum? Si non salvatur distinctio, corrumpit principium lumine naturæ, inter causam & causatum esse distinctionem; Si salvatur, ergo etiam salvari poterit inter compositum, & inter partes simul sumptas, ly simul, construendo cum partibus.

RESPONDETUR. Causa causans in consortio alterius, habebit pro effectu compositum, quod ratione alterius quod includit, distinguitur realiter inadæquate à sua parte; & quia constru-

do simul cum partibus, nihil responderet in toto, quod non responderet in illis partibus, ideo nec erit inter hæc distinctio, nec comparabuntur inter se, sicut causa & effectus. *Sed*

RESPONDETUR 2. eidem Objectioni secundæ cum Hurt. Materiam & formam, esse causas intrinsecas, causæ autem intrinsecæ, non causant suum effectum verè, sed tantum constituent.

INSTAT 1. Pontius. Si causaretur realiter totum à partibus, distingueretur ab illis realiter. Ergo etiam quia constituitur ex illis, distinguitur ab iisdem realiter, neque enim idem potest realiter constituere seipsum.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia causare non fit per meram exhibitionem ejusdem suæ entitatis, sed per productionem distinctæ entitatis; constitutio autem alicujus, fit per solam exhibitionem ejusdem suæ entitatis, eadem autem entitas, non fundat à seipsa distinctionem.

INSTAT 2. idem. Totum quodlibet habet quatuor genera causarum, ut docet Philosophus, inter quæ genera causarum, numerantur etiam materia & forma.

RESPONDETUR. Aliud est dicere quod quatuor sint causæ, nam entitas materiæ, non est entitas formæ, entitas item efficientis, non est idem in entitate cum prioribus, finis denique non est quidquam illorum trium, & in hoc sensu, sunt quatuor causæ, sed falsum est, ex eo quod quatuor sint causæ, jam illas æqualem modum influendi, adeoque & æqualem distinctionem à suis quorum sunt causæ habere. Quod si non habent æqualem modum influendi, nec erit necesse materiam & formam distinguere distinctione tali, qualem habet efficiens; & sic quia efficiens quando reproducit seipsum, secundò, non habet eundem modum influendi, ac cum producit aliquid primò, etiam ex modo influendi diverso, sequitur distinctio realis efficientis ab illo, quod primò producit, non sequitur autem ab illo, quod secundò producit; Ita & ex modo influendi in compositum debito materiæ & formæ, qui est condistinctus à modo influendi efficientis, sequi poterit, ut compositum ab efficiente distinguatur realiter, non autem à materia & forma unitis. Respectu autem cujus materia & forma sint causæ distinctum realiter effectum causantes, dictum supra. Dici etiam potest, Totum habere quatuor genera causarum, numerando, tam intrinsecas, quam extrinsecas, intrinsecæ autem causæ, sunt causæ, sed intrinsecæ, adeoque indistinguibiles realiter, à suo causato.

INSTAT 3. idem. Causæ extrinsecæ distinguuntur realiter à suo effectu, Ergo & causæ

causæ intrinsicæ à suo, quia distinctio causæ ab effectu, non oritur ex ratione extrinseci vel intrinseci, sed ex ratione causæ realiter influentis, causa autem intrinseca, realiter influit.

RESPONDETUR, consequens supponere, quòd causæ intrinsicæ habeant aliquem effectum realiter, & quia illum non habent, nec debent ab illo distingui realiter, causæ autem extrinsecæ habent effectum suum realem. Cur autem illæ non habeant, habeant hæc dictum ad instantiam primam. Et licet non oriatur primò à ratione extrinseci vel intrinseci distinctio illa, oritur enim primario ex influxu, ad quem consequitur ratio causæ, vel extrinsecæ, vel intrinsecæ, sed consecutivè, oritur à ratione intrinsicæ vel extrinsecæ causæ; illa enim taxat conditionem influxûs, & quia materia & forma habent influxum realem non nisi hoc sensu, quia non intentionaliter sese exhibent composito, sed non habent influxum realem, per resultantiam aliis à se entitatis, quæ resultantia solis extrinsecis causis convenit, idèò adhuc illæ causæ intrinsicæ, à composito, indistinctionem realem habebunt.

INSTABIS quartò ex Mastro. Distinctio causæ ab effectu, oritur ex distinctione causæ ut sic, quæ est influere esse in aliud, ergò & causæ intrinsicæ, debent distingui realiter à suo causato.

RESPONDETUR. Definitionem causæ communis ad causas quæ tales, & ad causas constitutivas non esse hanc influere esse in aliud, consequenter ex definitione causæ ut sic, communis etiam ad causam constitutivam, non potest argui distinctio realis, causæ intrinsicæ ab effectu: & licet inter causam quæ talem & effectum sit relatio realis, non tamen inter causam sumptam pro constitutivo, & inter effectum sumptum pro constituto.

INSTAT idem quintò. Nihil potest causare se ipsum, quia causa supponitur præexistens ad causatum, nihil autem præsupponitur sibi ipsi, quod procedit de quibuscunque causis. Ergò vel negandum est materiam & formam esse causas intrinsecas compositi, vel concedenda distinctio realis, inter ipsa.

RESPONDETUR. Nihil potest causare se ipsum, causationem accipiendo pro causatione quæ tali, sed potest causare causatione sumptâ pro constituyente, potest autem constituere aliquid, dando se non nisi in partem, adeoque nihil distinctum producendo. Unde non negatur, Materiam & formam esse causas intrinsecas compositi, licet negetur esse simpliciter & sine addito causas compositi, cum illud causent non nisi dando se in partem.

OBJICITUR III. Partes compositi distributive acceptæ sunt distinctæ realiter saltem inadæ-

quate à composito. Ergò & collectivè acceptæ. Probatur consequentia, idèò distributive acceptæ sunt distinctæ realiter, quia distributive acceptæ causant compositum. Sed etiam collectivè acceptæ, causant compositum. Quod ipsum probatur, quia totum, habet causam suam totalem intrinsicam, sed nisi partes collectivè acceptæ causarent compositum, non haberet compositum causam suam totalem intrinsicam, nam distributive acceptæ, sunt nonnisi causa partialis.

RESPONDET primò Oviedo. Implicare dari causam totalem intrinsicam, quia conceptus causæ intrinsicæ, est conceptus partis poscentis componere, implicat autem aliquam partem, adæquatè componere, hinc quamvis totum sit adæquatè compositum, & causatum, non dicit tamen adæquatam causam totalem; sed plures inadæquatas. *Hæc tamen Responsio*

NON SATISFACIT. Nego enim ut sic causæ intrinsicæ conceptum, esse conceptum partis, etsi ex pluribus causis extrinsecis inadæquatis, ipsa illa inadæquatio sine constitutione tertii, ponit adæquatam causam extrinsecam, cur in præsentem idem non diceretur. *Hinc aliter*

RESPONDETUR secundò conformiter ad dicta. Causas collectivè causare, construendo ly collectivè cum causare; sed non cum partibus, priorique modo sumptæ, erunt causa adæquata totius, & si priori modo non sumantur, erunt causa inadæquata.

INSTABIS. Hæc propositiones: Materia unita formæ; Materia, forma & unio sunt propositiones idem ex parte objecti significantes; Addi potest: Partes distributive acceptæ simul tamè causantes: Partes item collectivè acceptæ, sunt idem realiter. Ergò quidquid convenit uni convenit & alteri; sed materiæ unitæ formæ, partibus item distributive acceptis, convenit esse causam compositi: Ergò convenit etiam materiæ, formæ, & unioni, adeoque & partibus collectivè acceptis.

RESPONDET Oviedo, recentior Suar. & alii communiter, quòd quando aliqua sunt idem realiter, ut propositio quæ fit de uno, de alio verificetur, præter identitatem realem, est necesse, ut quando unum importat aliquid in recto, & aliud importet idem illud in recto, quod in præsentem non verificatur.

RESPONDETUR II. Committi in hac argumentatione fallaciam accidentis, quæ committitur, quando ex identitate duorum, arguimus aliquid convenire uni, quod convenit alteri, quantumvis id uni conveniat, non in quantum idem est, sed in quantum est quid diversum; partes autem distributive acceptæ, causant compositum, non in quantum idem sunt, cum collectivè acceptis, sed in quantum negant unitatem, & collectivem,

nem, quam unitatem, & collectionem, dicunt partes collectivè acceptas. Unde etiam consequenter dicitur, partes distributivè acceptas, includi in toto composito, sed non partes collectivè acceptas, collectivè enim acceptas, sunt ipsum compositum.

Objicit IV. Pontius, Per generationem substantialem debet produci aliqua substantia, sed nisi ponatur compositum tanquam tertia entitas, nihil potest tale ostendi.

RESPONDETUR. Modalistæ, produci unionem substantialem, in nostris principiis producit totum, tanquam subjectum denominationis, nam de ratione substantialis generationis, non est productio substantiæ novæ, Physicè & realiter distinctæ, sed sufficit substantia formaliter distincta, quæ ut dixi, sit subjectum denominationis.

Objicit V. Idem. Compositum humanum distinguitur realiter à suis partibus collectivè acceptis, Ergo & reliqua composita. Antecedens probatur, actus vitalis visionis ocularis v.g. est unum accidens, quod quia unum est, in uno subjecto subjectari debet, nam idem accidens non potest subjectari in pluribus subjectis, hoc autem nullum erit subjectum, nisi ponatur compositum, esse quid unum, distinctum à partibus.

RESPONDETUR. Visionem ocularem tanquam in subjecto inhaerentis, recipi in solo oculo, adeoque recipitur in uno, in composito autem tanquam in subjecto denominationis, quod subjectum denominationis, quamvis non realiter, distinguitur tamen formaliter à partibus. Et certe illud compositum, quod est tertia entitas non poterit recipere actiones materiales, si sit spirituale, nec spirituales si sit materiale, præcipue cum illæ actiones spirituales, possint habere subjectum spirituale.

INSTABIS I. de composito humano, idem dic, de reliquis compositis. Falsum est dicere: compositum est idem realiter cum forma, falsum etiam est dicere: quod compositum sit idem realiter cum materia. Ergo falsum etiam erit dicere compositum, est idem realiter cum materia & forma unitis, unio enim istorum, non facit nisi ut duplicetur falsum, quod sine conjunctione, tantum semel fuit falsum.

RESPONDETUR ex communi doctrina retorquendo argumentum. Palmus A non est idem realiter cum bipalmo, palmus etiam B, non est idem realiter cum bipalmo. Ergo neque A & B palmi, simul sumpti, sunt bipalmus. Directè autem ad argumentum dicitur, compositum non esse quidem idem realiter adæquatè cum materia, esse tamen inadæquatè realiter idem cum materia, idem dicendum de forma, plura autem inadæquata, faciunt adæquatam.

INSTABIS II. Si verum esset dicere, quod compositum substantiale, sit materia & forma unita simul sumptæ, sequeretur, quod anima rationalis, sit partialiter homo, materia item, hoc autem non potest dici: quia animal rationale cum consistat in indivisibili, singulæ illius partes, non partialiter, sed totaliter deberent esse homo. Quod si utraque pars dicit hominem totaliter. Ergo homo, bis est homo.

RESPONDETUR. Hic agi de composito Physicè, unde tantum sequitur, quod anima rationalis, posset dici pars hominis physicè sumpti; sed non pars hominis metaphysicè sumpti, quia homo Metaphysicè sumptus, desumitur simul ab utroque, animal enim non desumitur à sola anima & corpore, rationale item humanum; non à sola anima, sed ab anima & corpore, quia non ratiocinatur independentè à phantasmatis saltemque exigentia illorum, hinc nec homo bis erit homo, sed semel homo, desumptus tamen non nisi ab utraque parte, si homo metaphysicè spectetur.

INSTABIS III. Si compositum, quod est homo, non est tertia entitas, sequitur quod compositum non habeat majorem unitatem, quam acervus lapidum.

RESPONDETUR. Majorem esse unitatem ratione habitudinum & ordinis, quia materia ordinatur per se ad formam, & forma ad materiam, habentque se sicut actus & potentia.

Continuatur Solutio.

Objicitur VI. ex Mastro. Omnis per se unitas, aliquam habet per se entitatem propriam, tanquam proprium fundamentum, sed unitas compositi per se unius, est unitas per se una. Ergo. Illud autem fundamentum non possunt esse entitates partium etiam unitarum, quia propria unitas requirit unam entitatem, partes autem etiam sub unione, non sunt una entitas sed plures.

RESPONDETUR. Per se unitatem posse esse duplicem, quandam per se unitatem sumptam, propter se unitatem, alicujus simplicis indivisibilis, & hæc requirit non entitates sed entitatem; alia est per se unitas, alicujus unius ex aliis, & unitas composita, & hæc non entitatem requirit, sed entitates. Talis autem unitas ex aliis, & unitas composita, est unitas compositi, quæ hoc ipso quia unitas compositi est, ut sit proportionata unitas, & ipsa, debet esse composita.

INSTABIS I. Si compositum substantiale, non esset nisi conjunctum ex materia & forma, tunc non esset magis unum, quam compositum per accidens, quod non est nisi conjunctum ex subjecto & accidente.

RESPON-

RESPONDETUR. Sicut compositum per accidens, est compositum per accidens, ita & unitas illius, est unitas per accidens, tanquam illi proportionata, quæ si comparatur ad unitatem compositi substantialis, non est tanta, sicut & majus est compositum substantiale, præ composito accidentali. In hoc autem major erit unitas substantialis compositi, quia mensura ostendens majorem vel minorem unitatem, est præcipuum in genere unitatis, sicut præcipuum in aliquo genere, est mensura categororum: & quia præcipuum in genere unitatis, est identitas, & post illam convenientia, cum major sit convenientia inter duo substantialia ad se ordinata, quam inter substantiam & accidens, ideo etiam erit & major unitas.

INSTABIS II. Sicut alia est unitas unionis, alia unitas identitatis, nam illa arguit duo indivisa, sed distincta, hæc arguit unum in se indivisum & indistinctum, ita quoque arguunt diversa subjecta, adeoque cum unitas unionis, fundetur in partibus, unitas identitatis, in toto, hoc planè eret diversum à partibus.

RESPONDETUR. Nullam esse unitatem compositi indivisam & indistinctam re, sed esse solum unitatem compositam, & si unitas unionis ab unitate identitatis requireret diversum subjectum, hoc posset ostendi non diversum subjectum re, sed modo se habendi; quia partes simul sumptæ distributivè tamen, sunt subjectum unionis, eadem autem sed collectivè sumptæ, sunt subjectum identitatis.

INSTABIS III. Et si partes compositi substantialis, respiciant se invicem, ut per se actus & potentia, adhuc tamen per hoc, non plius sunt unum ens, nec minùs distincta entia, quam substantia & accidens, sed per hoc tantum sunt magis unita; unde si totum substantiale non diceret nisi partes ad invicem proportionatas, ut, per se actus, per se potentia, adhuc tamen per hoc nò plius sunt unum ens, nec minùs distincta entia, quam substantia & accidens, sed per hoc, tantum sunt, magis unita. Unde si totum substantiale non diceret, nisi partes ad invicem proportionatas, non diceret aliquid absolutum, nisi materiam & formam, atque ita quidquid de absoluto diceretur, hoc totum dicerent etiam partes divisæ, nam unitas superaddita, est purus respectus.

RESPONDETUR. Etiam substantia & accidens, proportionatè, respiciunt se ut actus & potentia, verè enim forma accidentalis, ordinatur ad suum subjectum, & subjectum etiam, est capax illius formæ recipiendæ, cum tamen supponat argumentum, quòd solæ partes compositi substantialis, respiciant se ut actus & potentia. Sed

quidquid sit de hoc, nego quòd respicere se tanquam actum & potentiam substantialem, non sit major unitas, quam respicere se sicut accidens & subjectum substantiale, unitas enim, est exclusiva a lieteris, major autem est a lietas, inter accidens & subjectum substantiale, quam inter actum & potentiam substantiales, hinc minor a lietas inter actum & potentiam substantiales, arguet majorem unitatem, non excludentem quidem distinctionem entitativam, includentem tamen identitatem generis, quòd est substantia. Unde Actus substantialis & potentia substantialis, non minùs sunt distincta quam actus accidentalis, & potentia substantialis, si distinctio spectetur in genere entis, secùs si spectetur in alio genere v. g. substantiæ, & entis per se. Quòd autem: dicit arguens per hoc tantum reddi illa entia magis unita, id explicatione indiget, tam enim stricte alligatur accidens subjecto, quam forma substantialis, suæ materiæ, consequenter magis unitum, non pro alio supponit, quam quòd convenient in ratione substantiæ: unde ulteriùs negatur quòd unitas compositi, quæ ipsa debet esse composita, debeat dicere unum ens. Supposito autem quòd illa unitas sit composita, nego quòd partes divisæ, dicerent eandem unitatem, quam dicit compositum, nunquam enim entitates divisæ, dicunt unitatem compositionis.

INSTABIS IV. Unitas composita, per hoc quòd est composita, & distinguitur à simplici, plura dicit adæquatè & formaliter per se conjuncta, nam in hoc sensu compositum substantiale, diceretur tantum per se unum, unitate unionis, non autem unitate identitatis. Unitas igitur composita, ut à simplici distinguit, significat quòd illud, quòd dicitur per se unum, plura partialia includat in sua entitate, per modum per se actus, & per se potentia.

RESPONDETUR. Negando, quòd unitas composita, quæ competit composito substantiali, debeat esse unitas identitatis, si enim composita est, adeoque est ex uno *Idem*, & alio *Idem*, quæ erit unitas identitatis, quæ unitas identitatis involvit quidem *Idem*, sed non *Idem* & *Idem*, hoc ipso enim non esset unitas identitatis seu unitas ipsius *Idem*, sed potiùs foret unius *Idem*, & alius *Idem*, duo autem *Idem*, non est unitas. Unde hoc tantum sensu unitas composita identitatem involvit, quia hæc plura, sunt sibi in pluribus suis, *idem*: ad eum modum quòd dicitur *idem* par, non per exclusionem multiplicis, quam involvit par *Idem*, sed per exclusionem alius in se multiplicis. Denique negatur, quòd per se unum, includat plura partialia in sua entitate, ab ipsis partialibus distincta.

INSTA-

INSTABIS V. Unitas unionis & unitas identitatis sunt diversæ realiter unitates, ergo non est idem à parte rei, dicere compositum esse per se unum, & partes per se unitas, quia illud indicat unitatem identitatis, hoc autem unitatem unionis.

RESPONDETUR, per se unum substantiale, indicat unitatem identitatis in genere substantiæ, sed non in genere entis, hoc enim non evincitur, si autem unum per se substantiale, non dicit identitatem in genere entis, non est necesse ut dicat identitatis unitatem; utendoque exemplo quod allegat Maffius, potest dici de acervo lapidum: Idem acervus lapidum non potest poni in pluribus locis, quamvis ly idem acervus, non supponat pro unitate aliqua identitatis, sed pro iisdem pluribus. Quod autem dicit Maffius acervum non esse totum à partibus distinctionem, neque totum esse ex his, sed cum his, cum tamen totum substantiale sit ex his, non autem est hæc duo; id non convincit. Nam si: *Est cum his* non arguit distinctionem realem in acervo, licet esse Petrum cum Paulo arguat distinctionem realem, cur esse *ex his* arguet distinctionem realem, cur item esse *ex his* non erit in re hæc duo, quæ habent rationem *ex his*, quia ad se ordinantur, per quod distinguuntur ab illis, quæ simpliciter duo sunt vel plura.

OBJICITUR VII. ex eodem. Saltem plus quam ratione distinguuntur partes unitæ & totum, nam sine ullo ordine ad intellectum, partes unitæ constituunt & causant totum, non tantum distributive sed etiam collectivè sumptæ, totum verò constituitur & causatur, illa sunt principia hoc autem principiatum, à parte rei materia & forma sunt plura, subiectant & terminant unionem, compositum est unum, & non plura, nec subiectat, nec terminat unionem, sed includit unionem, materiam & formam.

RESPONDETUR, negando quod partes unitæ collectivè sumptæ, constituant totum, & causent compositum constitutione nemine cogitante distincta à constituto, nego quod nemine cogitante partes collectivè sumptæ sint principia distincta à principiato; nego compositum, nemine cogitante esse unum, unitate distincta nemine cogitante, à pluribus unitis; hoc verum est, quod compositum non subiectet unionem, quia hoc subiectare spectat ad partem distributive sumptam, nec terminat etiam unionem, quia & hoc spectat ad partem distributive sumptam, si spectat ad partem distributive sumptam, cum pars distributive sumpta, distinguatur realiter inadaquate à toto, hoc ipso competet nemine cogitante parti subiectare vel terminare unionem, sed hoc non arguit intercedere alicuiam prædicatorum nemine cogitante inter partes

collectivè sumptas, & inter totum, de quotamen solo, est hic lis.

QVÆSTIO III.

De totis Possibilibus.

Sub hoc titulo tria proponi possunt, quæ videre est tractari à recentioribus. Primò, An possibile sit compositum constans materiâ & formâ spirituali. Secundò an possibile sit compositum quod neque ex materia, neque ex forma componatur. Tertio de opposito agendo compositioni & tamen toto inquiri potest: An possibile sit corpus completum simplex.

DIFFICULTAS I.

An sit possibile compositum ex materia & forma spirituali?

Affirmat Arriaga. Oviedo, consentitque Suar: Negat Hurt: recentior Suar. & Amicus Tom. 2. Dif. 3. Sec. 1. n. 30. Examinandæ veniunt implicantiæ.

I. IMPLICANTIA est, quâ utitur recentior Suar: Materia in tantum est possibilis, in quantum possibilis est forma, quæ ad illam essentialiter ordinatur. Sed ad materiam spiritualement nulla forma essentialiter ordinatur, quod ipsum probat. Quia forma solum ordinatur ad materiam, quæ illi interservit, atqui spiritualis materia nulli formæ potest interservire: quia non potest interservire formæ corporeæ, nam hæc in spirituali materia operationes corporeas exercere non potest, non etiam formæ spirituali, nam forma spiritualis solum indiget materiâ ad obeundas operationes aliquas corporeas.

RESPONDETUR. Quod forma solum indigeat materiâ, ad obeundas operationes aliquas corporeas, id verum est de præsentibus formis, non autem de possibilibus, eo quod non ostendatur implicantia in forma, quæ ad aliquas operationes, indigeat subiecto spirituali.

II. IMPLICANTIA est ex Amico: cujus argumentum propositum de Angelis, sic accommodari potest. Omnis compositio ex materia & forma, eo tendit ut mediante materiâ aliquam perfectionem acquirat forma, quam forma non habet ex se, sed forma spiritualis si ordinaretur ad materiam spiritualement, nullam acquireret perfectionem, neque in esse, neque in

† x opera-

operari; non acquireret quidem in esse. Tum quia anima rationalis non pendet à materia. Ergò nec ulla alia forma spiritualis. Tum quia substantia spiritualis, est naturà suà perfectior & independentior substantià corporeà, datur autem substantia corporea independens à materia, quale est corpus simplex aut ipsum totum. Quòd autem forma spiritualis, non posset dependere in operari à materia spirituali, ratio est, quia duplex operatio formæ spiritualis cogitari potest, hoc est intellectio vel volitio, & alia motus localis, ad nullam autem harum operationum forma spiritualis indigeret materià spirituali; non ad eliciendas intellectiones, nam cum intellectio sit operatio immanens postulabit recipi in eodem principio elicitive, non etiam ad recipiendas species intelligibiles, nam hæc cum determinare debeant intellectum, in ipsa illa forma, recipi connaturalius debent.

RESPONDET potest, non implicare contradictionem, ut in esse completo dependeat forma spiritualis à materia spirituali, & licet præsens forma spiritualis non dependeat à materia, non sequitur impossibile esse formam, dependentem à materia spirituali, sicut defacto dependent actiones vitales spirituales à subiecto spirituali; quod est anima. Posset etiam indigere saltem ad aliquas species intellectuum illa forma dicta materià spirituali; negatur item impossibile esse formam, quæ saltem aliquas species, non nisi unita materiæ spirituali, connaturaliter recipere possit. Quamvis autem substantia spiritualis sit independentior magis, quam substantia corporea simplex, inde nihil convincitur nam sicut substantia corporea simplex, est possibilis, & alia datur quæ non est simplex, ita datur substantia spiritualis simplex seu completa hoc est Angeli, cur ergò dari non poterunt aliæ spirituales substantiæ non simplices, sed dependentes à materia spirituali, quæ tamen magis erunt independentes quàm alia materialia, eò quòd in suo produci, dependeret non nisi à solo DEO: Et quamvis in hoc superarentur à corpore simplici, quia illud nullo modo dependet à subiecto, sufficit ut aliis prædicatis superetur illud corpus; sicut quamvis materia superet lumen gloriæ, quia est substantia, superatur tamen ordine supernaturali, & genere spiritualis entis. Concordaret autem in hoc cum corpore simplici, quia nullo etiam modo, penderet à materia corporea.

III. IMPLICANTIA est ex Hurtado. Nulla substantia spiritualis potest egere consortio materiæ ad suum esse, aliàs separata à materia, postulare interire.

RESPONDETUR. Etiam anima rationalis, ut habeat esse completum, ad quod ordinatur, in-

diget consortio materiæ, multò magis id competere poterit alteri formæ comparatæ ad materiam spiritualement, licet cum iure existendi sine illa materia. Quid si ponatur essentialis nexus inter illam materiam & illam formam, adeoque inseparabilitas ad invicem?

IV. IMPLICANTIA est. Quia nullius usus esset illa materia spiritualis. Ergò esset essentialiter frustra.

RESPONDET OVIEDO: Illam materiam posse esse tanquam comprincipium activum aliquarum operationum materiæ, non est enim contra rationem subiecti esse comprincipium activum operationum aliquarum materiæ, non est enim contra rationem subiecti, esse comprincipium activum operationum compoſiti; multi enim sentiunt materiam simul cum forma concurrere ad eliciendas sensationes v.g. oculum, ad visionem. Independentem ab hoc dici posset, illam materiam fore comprincipium passivum recipiendi operationes formæ, sicut sensationes bruti multi dicunt recipi in materia. Conformiter ad dicta supra, posset illa materia, esse utilis ad aliquas operationes, quas fortè illa forma non posset elicere, nisi cum unione ad materiam spiritualement.

V. IMPLICANTIA est. Omnes substantiæ spirituales, quæ de facto dantur carent compositione tali. Ergò talis compositio est impossibile est impossibilis. Probat Conseq: Quia omnes homines, qui de facto dantur, sunt animalia rationalia, bene inferitur; Ergò quicumque possibilis homo est, erit animal rationale. Ergò etiam quia Spiritus, qui dantur, carerent compositione & materià & forma spirituali, quicumque alii Spiritus, carebunt illà.

RESPONDETUR. Disparitatem esse, quia cum definitivè homo sit animal rationale, impossibile est esse hominem & non esse animal rationale; jam autem nego definitivè Spiritum, esse, carere compositione ex partibus, unde & indivisibile Mathematicum caret partibus, nec tamen propterea est quid spirituale.

VI. IMPLICANTIA est, quam proponit Pater Martinus Olszewski. Si possibile esset tale compositum, illud & esset intellectivum. Esset intellectivum, Tum quia omnis substantia spiritualis est intellectiva; Tum quia omnia recedentia à materia aliquo modo operantur; & quia substantia spiritualis perfectissimè recedit, perfectissimè operabitur, adeoque intellectualiter. Tum quia substantia spiritualis, non potest esse nisi vivens, hinc etiam nomen habet Spiritus, nomine tracto à spiratione; quæ ratione vita proditur: sed non potest esse vivēs vitā vegetativā, nec sensitivā, nam hi vivendi modi sunt immeriti materiæ.

reria. Ergo vitâ intellectuali vivere deberet. Non esset autem illud compositum intellectivum. Tum quia vel esset intellectivum intellectuone divisibili, vel indivisibili. Non divisibili: Tum quia Philosophi non agnoscunt partes divisibiles intellectuum: Tum quia omne intellectivum debet attingere objectum indivisibile, aliâ non differret à sensitivo, objectum autem divisibile de se constar, non posse attingi cognitione divisibile. Tum quia si posset dari divisibilis intellectio, posset diversis sui partibus diverfa, & contraria, immò eadem, contradictoria intelligere: hoc est unâ sui parte aliquid affirmare, alterâ negare, quo posito, sequens hanc intellectuonem volitio, posset aliqua sui parte aliquid amare, aliquid odire, consequenter aliquâ sui parte mereri, aliâ demereri adeoque digna esse cœlo & inferno. Non etiam illud compositum posset intelligere cognitioni indivisibili, quia principio divisibili non potest esse connaturalis, & proportionata actio indivisibilis: repugnat enim ab agente divisibili produci effectum nobiliorem, & indivisibilem: aliâ ille effectus & indigeret pluribus principiis, & non indigeret, non indigeret quidem, quia cum sit spiritualis ab uno totus penderet, indigeret autem, quia ab illis per se naturaliter poneretur.

RESPONDETUR. Hanc rationem supponere imprimis impossibilitatem substantiæ spiritualis, quæ non sit intellectiva cuius demonstratio poni deberet. Posset illi substantiæ concedi perfectissima operatio genericè, hoc est spiritualis: qualis foret spiritualis emanatio spiritualium passionum: sed non esset concedenda perfectissima operatio subalternè qualis est ratio operationis intellectivæ. Et licet nomen Spiritus, nomen impositum est, ad significandum vivens vitâ intellectuâ, hoc non obstat, non appellat illam substantiam Spiritum, sed appellat compositum nullam habens partem materialem; vel Spiritum Analogicè: ad eum modum quo accidentia sunt spiritualia aliqua, & tamen nulla illis competit ratio vitæ? Sed potest etiam bene dici illud compositum posse esse intellectivum intellectuone indivisibili, non implicat autem à principio duplici, & indivisibili, pendere actionem indivisibilem; & ita defectio nostræ actiones vitales à Deo, potentia, habituque procedunt, & tamen sunt spirituales sufficitque quoddam aliis prædicatis illius principii, superetur prædicatum indivisibilitatis, reperiibile in illa intellectuone. Quanquam in præsentia intellectuone poni potest pluralitas partium integrantium, ut si aliâ intellectuone intelligatur animal, aliâ rationale sicut in unione spirituali multi agnoscunt partes, item.

que in habitibus. Et licet omne intellectivum quod datur, attingat objectum indivisibile, cur non erit possibile, quod attingat non nisi sensibilia, quorum habeat species. Sed cur etiam objectum indivisibile, non poterit attingi divisibili subjectivè cognitione, indivisibili terminativè, ad eum modum, quo unio spiritualis in sententia Suarez, admittens partes integrales, singulis suis partibus totam animam, & non tantum aliquam illius partem unit, quamvis unio ipsa, plures formaliter partes habeat. Et sicut non sequitur ex eo, quia pluribus actibus diversis anima potest ferri in objecta, non sequitur inquam, eandem animam esse dignam Cœlo & inferno; ita nec sequetur in præsentia: & sicut ponitur plurium actuum impossibilitas saltem naturalis secum, quæ facit, ne simul sit quis actu odio & amore Dei dignus, ita impossibilitas partium integrantium divisibilis intellectuonis, faciet ne idem sequatur. Nomine partium integrantium, intelligendo partes, ex quibus coalescit intellectio illa indivisibilis.

SEPTIMA IMPLICANTIA est. Idque pro probandâ hâc thesi. *Impossibile est materia Spiritualis.* Unumquodque Ens, dicit negationes, essentialiter sibi connexas, & hoc ostendit Inductio, & quidem non tantum de Entibus disparatis ut cum Petrus dicit negationem Pauli, sed multò magis in Entibus oppositis & contrariis, nam ipsa oppositionis ratio fundat specialem exclusionem illius alterius Entis, cuius dicit negationem. Quod ipsum magis adhuc videre est, si aliqua sibi opponantur genere. Nam licet impossibile sit hanc substantiam, esse illam substantiam, cuius dicit negationem; sed pluribus titulis impossibile est, substantiam esse accidens, cum generibus distent, ipsoque illo generico à se abscessu, magis distrahuntur, ne in unum convenire possint, quæ inductio, ipsaque Major resolvitur in principium lumine naturæ notum quodlibet est quod est. Ergo oppositi sibi esse, quodlibet dicit negationem. Ad quod principium postea sequitur, ut unumquodque Ens dicat negationem negationis sui. Sed Spiritus & Materia dicunt adinvicem negationem sui. Ergo impossibile est spiritum esse materiam. Minor probatur. Imprimis querendo, quid materia neger ex Entibus sibi contrariis, si non spiritum? & si materia non dicit negationem spiritus, jam non procedet sua positio, de subjecto, de quo lis est. Rursus si frigus & calor, brutum & homo, dicunt negationem sui, certè dicent materia & spiritus negationem adinvicem,

neque enim minor est inter hæc oppositio. Denique quæcunque Regula assignata fuerit inter noscendi aliqua esse contraria, dicereque adinvicem imbibitam sui negationem, eadem ostendit spiritum & materiam dicere negationem sui adinvicem. Unde & bona est Categoria dividens substantiam in Materialem & Spiritualem, dum tamen membra divisionis, dicant adinvicem negationem sui & oppositionem. De hac autem thesi indefinita loquendo. *An implicet substantia spiritualis quæ habeat rationem subjecti*, non est adferenda implicantia, quia oppositum demonstrari potest, nempe substantiam spirituales esse subjectum plurium accidentium spiritualium, non posset autem substantia spiritualis esse subjectum accidentium si universaliter teneret Major, impossibilis est substantia spiritualis, habens rationem subjecti.

Quod attinet ad hanc Thesim: *An sit possibilis substantia spiritualis incompleta receptiva, & subjectiva forma spiritualis substantialis?* Illius impossibilitas colligitur per locum Theologicum. Nam & esset illa substantia ut supponitur spiritualis, & non esset: esset ut supponitur, non esset autem: Quia si possibilis esset substantia spiritualis, habens rationem subjecti, respectu formæ spiritualis, male arguerent Theologi, & quidem jam consensu communi ex eo carere Angelos compositione ex materia, quia sunt spirituales. Et sicut falsa esset hæc causalis, ideo Petrus est homo, quia est animal rationale, si posset esse Petrus, & tamen tantum habens rationem simii locutivi; ita & falsa esse hæc causalis: Ideo Angeli carent omni materiâ, quia sunt spirituales, si potest aliquid spirituale, esse subjectum informabile formâ substantiali spirituali. Eo etiam servit. Hoc quod est recipere dicit in omni Ente imperfectionem, quia maximam destructionem principalis perfectionis Divinæ, quæ est esse Actum purum. Hinc perfectissimum Ens DEUS, nihil in se recipit, infimum genus substantiæ, est substantia materialis, & hæc recipit tam formas accidentales, quam formas substantiales, mediæ autem notæ, est substantia spiritualis, quæ recipit (ut constat) formas substantiales, deiceretur à ratione mediæ illius perfectionis, adeoque nec esset substantia spiritualis.



DIFFICULTAS II.

An sit possibile compositum ex partibus quarum neutra sit materia, neutra forma?

Affirmat Oviedo, qui primus hanc Questionem incepit tractare: Probat suam sententiam argumento negativo. Quia scilicet hoc non implicat contradictionem, solvitque argumenta sic.

I. ARGUMENTUM, quia scilicet Antiquitas non cognovit compositionem essentialem, nisi ex materia & forma.

RESPONDET Oviedo, quia Antiquitas in hac materia non discurrebat nisi de composito quod datur.

II. ARGUMENTUM est: Quia scilicet illæ partes, eò ipso quòd habeant conceptum partium essentialium, eò ipso habent conceptum quidditativum materiæ & formæ. Ergo implicat partes essentielles compositi, quæ rationem formæ & materiæ non induant: Antecedens probatur, quia secluso conceptu quidditativo materiæ & formæ, nihil remanet, per quod partes illius compositi, in ratione partium constituentur.

RESPONDET Oviedo: accommodatè ad varias sententias explicantes conceptum primum materiæ & formæ, vide eundem. Succus in eo est, quia secluso conceptu materiæ & formæ, ab istis partibus manet adhuc conceptus partis unibilis ad aliam partem, quæ compartes erunt essentielles, & non tantum integrales, quia habebunt inter se diversitatem specificam partium, & habebunt ordinem ad unionem faciendam, cum intima penetratione inter extrema, quorum utrumque ordinetur essentialiter ad constitutionem totius, & neutra primariò, nihilominus per se, ordinabitur una ad aliam.

III. ARGUMENTUM est: ponamus illud corpus esse vivens organicum, tunc in illo toto, quælibet pars esset actus primus corporis organici potentiâ vitam habentis. Ergo quælibet illius pars esset anima, ita enim animam definit Aristoteles, adeoque compositum illud constaret duplici formâ.

RESPONDET Oviedo, nulla pars illius compositi esset forma, quia forma, quia forma necessariò dicit ordinem ad materiam, qui ordo illic non esset nihilominus.

DICENDUM est: *Illud compositum secundum quod explicatur ab Oviedo, impossibile esse dixi secundum quod explicetur ab Oviedo: quia fortè si aliter proponeretur non esset impossibile.*

PROBATUR I. Illud compositum & esset compositum essentialiter, & non esset, esset ut supponitur, non esset autem, ut probatur: quia illud compositum ita se haberet ac duæ formæ,

ma, si inter se unirentur, quia tam illa forma, ad se non ordinarentur per modum actus & potentiae; sicut & illae partes; ita illae duae formae possent inter se uniri, in ordine ad localem intimitatem, sicut & illae partes, dicuntque praesentes formae, ordinem obedientialem unibilium. Ergo sicut illae duae formae non facerent rationem compositi essentialis, ita nec illae partes.

RESPONDEBIS. Hoc ipso quod illae partes dicant ordinem non nisi obedientialem unibilium, non constituent compositum essentialia.

CONTRA. Quia ex eo dicunt illae formae ordinem non nisi obedientialem ad uniri; quia non ordinantur ad se tanquam actus, & potentia, ex eoque quod non ordinantur tanquam actus & potentia, faciunt, quod non sit compositum essentialia. Ergo etiam in praesenti idem fiet, utrobique enim est idem fundamentum, non pullulaturi compositi essentialis, nempe defectus ordinis, dicamque non nisi obedientialem ordinem, etiam illas partes dicere in ordine ad uniri, idque ex eo; quia sicut praesentes formae non nisi obedientialem ordinem dicunt ad uniri, ex eo, quia non ordinantur ad se tanquam actus & potentia, ita & illae partes.

PROBATUR II. Quia ex nullo capite dici posset illud compositum essentialia, non ex eo quia constaret partibus substantialibus, nam si duae animae unirentur, illud totum constaret partibus substantialibus, neque tamen esset compositum essentialia, sicut nec est compositum essentialia in toto integrali; Non etiam illud compositum esset essentialia, quia constaret partibus diversitatem specificam habentibus, nam etiam constaret illud ex duabus animabus, haberet partes diversitatem specificam habentes, & tamen non esset compositum essentialia; Non etiam illud compositum esset essentialia, quia haberet unionem, cum intima penetratione inter extrema; quia conceptus essentialis compositi, non est conceptus unionis, cum ista intima penetratione, nam unio qualitatum inter se, est cum intima penetratione, & tamen haec unio non arguit rationem essentialis compositi: Et si divinis partes aquae se penetrarent, unirenturque, non jam per hoc ipsum constitueretur totum illud, in ratione totius essentialis. Ergo apparet solam rationem unionis cum intima praesentia, non formalisare compositum essentialia; Non etiam illud constitutum acquireret rationem compositi essentialis, quia una pars diceret ordinem ad aliam, quia si illae partes non dicerent ordinem potentiae & actus, majorem dicerent ordinem, quam dicant formae aut quaecunque alia aggregata.

PROBATUR III. Quia illae partes & unirentur per se, & non unirentur, unirentur qui-

dem ut supponitur, non unirentur autem per se, quia nullo modo explicatur haec perfectitas.

Possit tamen hoc compositum sic concipi, de ratione partium per se ordinarum ad unionem, non est quod una pars sit actus alia potentia, defacto enim continuum est per se compositum, & tamen neutra pars est actus, neutra potentia, cur ergo non poterit esse compositum per se, cuius neutra pars sit potentia, neutra actus, quia tamen continuum est potius integrale homogeneum, quam essentialia compositum, videndum est in quo stet haec integralitas, & deficientia a ratione compositi essentialis, quae deficientia videtur in hoc stare, quia scilicet naturaliter una potest esse sine alia, neque requiritur ulla specialis dispositio in ordine ad uniri eadem, cur autem non poterunt esse partes, quae naturaliter non possint esse sine se, quae certe erunt ad se essentialiter ordinatae, quamvis sine ordine actus & potentiae.

DIFFICULTAS III.

Possibile ne sit totum, quod sit corpus simplex compositum.

CORPUS in duplicem considerationem venire potest. *Primo* prout est incompletum aliquid, & ordinatum ad aliam partem, quae sit forma illius. *Secundo* potest considerari corpus, prout est totum quid, seu habens totum, esse sibi debiti integritatem, independentem ab alia parte; breviter prout est quid completum, & de hoc in praesenti quaeritur, an sit possibile, idque hoc sensu. Videmus dari substantiam spiritualement incompletam, hoc est animam, videmus etiam dari substantiam spiritualement completam, hoc est Angelos, occasioneque hinc habitae quaeritur: an sit possibile corpus simplex, hoc est non compositum ex materia & forma, idque completum, hoc est non ordinatum ad ullam formam substantialem, negat Hur. affirmat Ariag. & Oviedo.

DICENDUM est. *Tale corpus possibile esse.*

PROBATUR I. Quia nulla est in hoc implicancia.

PROBATUR II. Possibilis est substantia spiritualis completa, Ergo & corpus completum.

PROBATUR III. Non est de ratione corporis completi, defacto enim corpus compositum, corpus est, & tamen non est complebile. Ergo ex ratione sua generica non repugnat corpus, non complebile.

† x 3

Ergo

Ergo & ex ratione sua specifica dari poterit corpus completum. Quia autem tota probatio stat in solutione implicantiarum, ad eam accedendum est.

OBJICITUR I. Auctoritas S. Thom. ad primi de Cælo textum q. 2. & 1. parte q. 66. Art. 6. ubi docet quod omnis substantia, aut est potentia seu materia; aut actus, aut habens actum, additque si est actus, vel est actus in materia, & erit forma illius, vel sine materia, & non erit ens sensibile, sed intelligibile, quia omnis actus non in materia, est intelligibilis.

RESPONDETUR. Quando S. Thom. dicit quod omne ens sine materia, sit intelligibile, accipit ly sine materia pro eodem ac ens immateriale seu spirituale, corpus autem illud non est immateriale, hōc sensu hoc est spirituale, quantumvis materialitas illius non sit desumenda à materia, quæ sit compars illius constitutiva, sed ab ipsa ratione corporis. Quando autem Aristoteles 8. Metaph. textu 3, universaliter docet, quod cunctæ substantiæ sensibiles materiam habeant; agit de substantiis sensibilibus quæ defacto dantur, velly: materiam habent, debet sumi non tantum transitive, sicut materiam habet homo, sed etiam intransitive, quod scilicet sensibile non debeat esse spirituale, sed corpus, quod etiam convenit corpori simplici. Deinde hīc non queritur de auctoritate, sed de demonstratione.

OBJICITUR II. Si possibile esset corpus simplex, & esset intellectuale, & non esset, non esset, quia corpus & intellectivum sunt termini impossibiles, aliās etiam oculus corporeus videre posset Deum, & ex intellectivitate animæ, malè ejus spiritualitas deduceretur, si etiam corpus intelligere potest; esset autem intellectivum, quia radix intellectivitatis est immaterialitas, per S. Thom. ex Dionysio: & sic ut repugnat esse aliquod vivens rationale, & non esse animal, ita repugnat corpus, quod sit actus simplex subsistens, & tamen non intellectivum, & cum modus operandi sequatur modum essendi, sit ut cum modus essendi illius corporis; sit elevatus supra materiam, etiam modus operandi erit elevatus, adeoque erit intellectio.

RESPONDETUR. Non fore illud corpus intellectivum, immaterialitas autem si fundat intellectivitatem, fundat sumpta pro spiritualitate, aut certā conditione spiritualitatis, repugnat autem vivens rationale & non esse animal, quia ipsum prædicatum rationalis, quod supponit pro intellectivo, dependenter à phantasmatibus, involvit animal, quod solum phantasiari seu dependere à sensibus esseque sensitivum

potest. Jam autem nec prædicatum actus, nec prædicatum simplicis, nec prædicatum subsistentis, involvit ut sic intellectivitatem, nec ostendi potest, quod omnia simul sumpta, illam importent. Elevatio etiam modi essendi supra materiam, involvens spiritualitatem, hæc arguit operationem intellectualem, non autem elevatio supra materiam, quæ est compars compositi; non implicat enim ut aliquid non sit secunda pars compositi, & tamen sit materiale, hoc est, corporeum intransitive, seu corpus.

INSTABIS. Esse actum aliquem simplicem & subsistentem, non tamen excludere corpus, ita implicat atque dicere, quod Ens aliquod rationale non excludat insensitivum. Rursus sicut sensitivum præsupponitur ad esse rationale, ita esse actum simplicem, completum, subsistentem, æquiparabilem Angelis, qui sunt similes actus, præsupponit intellectivum; ita enim intellectivum, videtur esse genus ad actum simplicem completum, & incompletum, sicut animal ad rationale vel irrationale.

RESPONDETUR. Disparitatem esse ex dictis, quia rationale importat intellectivum dependenter à sensibus, si importat tale intellectivum, importat sensitivum tanquam principium, si importat sensitivum, importat hoc ipso excludens insensitivum; actus autem simplex, non simplicitate absolutā, hoc est importans spiritualitatem, sed tantum simplex, simplicitate negante compositionem ex materia Physicā, non importat aliquod prædicatum, ratione cujus excludatur ratio corporis, nec tale prædicatum, demonstratur. Negatur ulterius, quod ante prædicatum esse actus completi præsupponatur tanquam genus intellectivum, sed è converso actus completus, dividitur in membra, hoc est, in actum completum corporeum, & incorporeum, cujus divisionis ratio in hac materia, semper repetenda est. Quia scilicet non implicat dividi actum completum simplicem, in actum spiritualem & materiale, ita ut illud corpus, in prædicatis genericis æquiparetur Angelis, non tamen in prædicatis specificis, adeoque non in intellectione.

OBJICITUR III. ex Hurtado. Illud corpus & esset vivens & non esset vivens, esset quidem vivens; Tum quia & esset perfectius corpore completo composito, ut supponitur, & non esset perfectius, quia caret perfectione viventis. Tum quia ratio viventis, præsupponitur necessario ad esse actus simplicis, non secus ac ratio viventis, præsupponitur ad esse animalis; Non esset autem illud corpus vivens, quia nec posset esse vivens, intellectuāli vitā, ut probatum supra, nec vitā vegetativā, quia vegetatio debetur corporibus corruptibilibus, commu-

communem materiam habentibus, & affectis contrariis qualitatibus, quarum non esset capax corpus simplex, quia hæc dantur à natura, ut materia ad alias successivè formas disponatur, nec item istud corpus posset esse vivens vitâ sensitivâ; nam sensatio ut experientia patet, fit mediis primis qualitatibus, quæ tamen in corpore simplici haberi non possunt.

RESPONDETUR. Imprimis, non fore illud corpus vivens, & quamvis sub hac formalitate, esset imperfectius compositis, sub alia tamen formalitate, nempe actûs simplicis, excederet composita, à qua ratione actûs simplicis, nego præsupponi rationem viventis, cum hæc ratio actûs non sumatur pro motu aliquo, sed pro complemento non habente rationem materiæ, quæ sit compars. Unde non ostenditur prædicatum competens corpori completo, in quo sit exigentia vitæ. Jam autem in animalis definitione pro genere ponitur vivens. Deinde Oviedo dicit illud corpus fore sensitivum, sed diversis sensationibus non dependentibus à primis qualitatibus, sed à speciebus v. g. à DEO infusis. Addit, quod posset corpus sentire easdem qualitates, quas non sentimus, per species illarum, quantumvis has qualitates recipere non posset, quia potentia sensitiva potest sentire objecta, in extraneo subiecto recepta.

OBJICITUR IV. ex eodem. Illud corpus & esset corruptibile, & non esset corruptibile, esset corruptibile quia esset divisibile, ita ut divisio venire posset ad partem minorem minimo requisito ad conservationem, esset etiam incor-

ruptibile, quia incapax qualitaturn corruptivarum.

RESPONDETUR. Corpus illud fore incorruptibile, divisibile tamen quantitativè, sed non divisibile quoad suum constitutivum, ad eum modum, quod Cæli dividi possunt quantitativè, & tamen unio illorum incorruptibilis corruptioni non potest, eo quod nulla detur virtus naturalis quæ possit devenire ad minimum requisitum: Oviedo addit posse illud corpus dici corruptibile per impressionem impulsus contrarii.

OBJICIT V. Suar. Impossibilis est substantia creata spiritalis, quæ non sit capax formæ accidentalis. Ergo nec erit possibilis substantia materialis, quæ non sit capax formæ substantialis.

RESPONDETUR. Argumentum multum probare, probat enim Angelos debere constare formâ substantiali, cum non possint non esse capaces formæ accidentalis. Sic enim formabitur argumentum: Non est possibilis substantia creata spiritalis, quæ non sit capax formæ accidentalis. Ergo nec erit possibilis, substantia spiritalis, quæ non sit capax Formæ substantialis.

ADDI potest universaliter, negationem materiæ pro comparte sumptæ, non fundare spiritalitatem, quia non implicat aliquid non esse spirituale, & tamen dicere negationem materiæ tanquam comparts, conceptusque spiritalitatis, non est negatio materiæ.

